veri diſpenſationem obtinuit, & poſtea petat diſpenſationem ab impedimento conſanguinitatis: quia talis manifeſtatio non reddit diſpenſationem difficiliorem. Contra ſi impedimentum ortum ex crimine ſit aut uxoricidii, aut adulterii cum ſponſione matrimonii, tum ſi ſecunda diſpenſatio obtinenda ſit, prioris mentio facienda eſt; quod ex repetito ſcelere difficilior reddatur diſpenſatio in ſecunda. Si quis vero diſpenſationem quam alicuius impedimenti petiit, non obtinuerit, haud requiritur ut, ſi novam impetrare ſtudeat ſive ab eodem, ſive ab altero Pontifice, prioris mentionem faciat; ut docent Sanchez, Suarez, Pontius, Palaus, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num. 48.* Qui vero plura habet impedimenta eiuſdem rationis, ut ſi quis velit ducere Bertam ex duplici capite conſanguineam; vel quacum duplicem habet affinitatem, quia cum duabus eiuſdem ſororibus eſt fornicatus; vel duplicem cognationem ſpiritualem, quia duos illius filios ex ſacro lavacro ſuſcepit, vel unum ex ſacro fonte, alterum ex confirmatione: aliqui contendunt ſat eſſe unum exprimere impedimentum in gradu propinquiori. Sed probabilior & vera ſententia docet, exprimendam eſſe conſanguinitatem, affinitatem, vel cognationem duplicatam, ex diverſo capite proficiſcentem. Diſputant quoque, num qui pluribus impedimentis ligatus eſt, debeat omnia ſimul exponere; an vero ſufficiat ut unum in una, aliud in altera petitione exponat, nulla facta in petitione diſpenſationis unius mentione alterius. Probabilior ſententia docet, debere omnia ſimul exponi; idque ex Curiæ praxi, & conſuetudine. Impedimentum enim cum altero coniunctum difficiliorem reddit diſpenſationem.

# DISSERTATIO IV.

## *DE OBLIGATIONE, ET PECCATIS SPONSORUM ET CONIUGUM.*

### CAPUT I.

*De fine ſponſalium, obligatione, & peccatis ſponſorum.*

I. QUæſt. I. *Quis ſit ſponſalium finis?* Reſp. Ideo ab Eccleſia inſtituta ſponſalia ſunt, ut fideles ad magnum matrimonii ſacramentum virtutibus, & ſanctimonia ornati accedant. Sunt enim ad hoc ſacramentum ſponſalia, quod catechumenatus ad baptiſmum, tonſura clericalis ad Ordines, novitiatus Religioſorum ad ſolemnem monaſticam profeſſionem; ut in *ſupp. qu. xliii. art. 1. ad 6.* docet Angelicus, inquiens: *A prima ſponſione dicuntur ſponſalia proprie, quæ ſunt quædam ſacramentalia, ſicut catechiſmus baptiſmi.* Præcipue ad hæc tria ſacramenta rite ſuſcipienda Eccleſia virtutum exercitio diſponendos præparandoſque fideles ſtatuit: quia in horum ſuſceptione novum vitæ genus amplectuntur, novumque ſtatum profitentur. Quomodo autem novi ſtatus onera, officia, munia, ut decet, & expedit tum familiis, tum Reipublicæ, nedum privatæ felicitati, ſuſtinebunt, niſi optime morati, imbuti, probatique ad illum accedant? Quemadmodum igitur qui Religionem monaſticam profeſſuri ſunt, ſub experti magiſtri cura & vigilantia conſtituuntur candidati, ut quæ profiteri debent, apprime perdiſcant; ita ſponſi ſub proprii Parochi magiſterio tyrocinium ſtatus coniugalis exercere debent, ut ad tantum ſacramentum celebrandum ſe ſe præparent, atque ad ea quæ hinc conſequuntur, munera ſuſtinenda bene affecti diſponantur.

II. Quæſt. II. *Quæ ſint Parochorum munia in ſponſorum inſtructione?* Reſp. Primum omnium inſtruere iuvenes, & puellas Parochus debet, ne ſponſalia tumultuarie & repente contrahant, neque in tabernis, locisve profanis, non poſt compotationes, ludicra ſpectacula, choreas: ſed præmittant ſerias conſiderationes, & coram teſtibus, præſertim parentibus, ſingularis pietatis affectu præparati ad ritum hunc ſacramentalem celebrandum accedant. Sponſorum in chriſtiana religione peritiam Parochus exploret, utrum ea calleant quæ ut Chriſtiani ignorare ſine peccato nequeunt. Præter vero ea quæ Chriſtianos ſcire convenit, in iis erudiantur oportet quæ ſtatum coniugalem ſpectant. Monendi graviter ſunt ne ſub eodem tecto habitent, ne mutuus & flagrans amor ex nimia propinquitate & familiaritate erumpat in flammas impuras.





III. Eos inſinuat ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine ſponſalia, & matrimonia celebrari conſueviſſe per fidelium preces, & Eccleſiæ benedictionem, ut moleſtam carnis tribulationem, quæ ſociare matrimonia ſolet, perferre chriſtiana fortitudine maritati queant. Tertullianus *Lib. II. ad uxor. cap. viii.* hæc docet. *Unde ſufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet? Nam nec in terris filii ſine conſenſu patrum rite & iure nubunt.*

IV. Ut veram Chriſtianorum matrimonii imaginem imprimere ſponſorum animis Parochus valeat, illis primum ſerio meditandum proponat increatæ Sapientiæ ordinem, quo Deus propagare animas illas voluit quæ damnatorum ſpirituum ſedes occupaturæ ſunt. Propagationem hanc carnalem ſimul & ſpiritualem, ſeu divina gratia fecundatam eſſe voluit. Hinc eſt quod perſonæ huic generationi deſtinatæ primum ſponſalia, quæ ſunt quidam ſacramentalis ritus, inquit S. Thomas, contrahunt, & peracto chriſtianarum virtutum tyrocinio, magnum matrimonii ſacramentum ſuſcipiant, quo illorum animæ Redemptoris gratia ſanctificantur ad ſobolem procreandam. Felicia, ait Tertullianus, matrimonia quæ Eccleſia conciliat, ſeu quæ fiunt in ſpiritu Eccleſiæ, & propter fines a Deo præſtitutos. Subdit Tertullianus, matrimonia oblatione confirmari, cum nempe ab Eccleſiæ præpoſitis celebrata inter Miſſarum ſolemnia, & communes fidelium preces cæleſti benedictione ſignantur ſponſi. Quemadmodum ad cetera ſacramenta rite ſuſcipienda præcedunt ſacramentalia, ut aqua luſtralis, eulogiæ, & interiores animi virtutes; ſic ſponſalia ſunt, ut ex S. Thoma & Tertulliano vidimus, quædam ſacramentalia, quibus matrimonii candidati obſignati, in eis præſertim exercere ſe virtutibus debent quæ ad fœdus coniugale integrum intaminatumque cuſtodiendum ducunt. Et eo maior ac diligentior ſit ſponſorum præparatio oportet, quo non ſibi tantum, ſed aliis quoque inſervire ſponſi debent. Sunt quippe coniugati perſonæ publicæ, ad propagandam conſervandamque chriſtianam Rempublicam, Dei populum multiplicandum, & paradiſum implendum cæleſte. Hinc & ſponſalia, & matrimonia divina inſtitutione ſpectant.

V. Virgo, contractis ſponſalibus, velanda eſt, inquit Tertullianus, ideſt hominum, & præſertim ſponſi oculis, colloquiis, & familiaritati ſe ſubducere debet, ne virginitatis ſuæ ſordes contrahat, & reciproca libidine divinam maledictionem loco cæleſtis benedictionis ſibi concilient. Caſte, modeſte, & pudice ſe gerant deſponſatæ, ut amorem, non carnalem, ſed divinum in ſponſis ſuis accendant. *Deſponſata quidem habebit exemplum* (inquit Tertullianus Lib. de veland. virg. cap. xi.) *Rebeccæ, quæ cum ad ſponſum ignotum adhuc ignota perduceretur, ſimul ipſum cognovit eſſe quem de longinquo proſpexerat, non ſuſtinuit dexteræ collactationem, nec oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem; ſed confeſſa, quod ſenſerat, ideſt ſpiritu nuptam, negavit virginem velata.* Ibidem: *O mulierem iam de Chriſti diſciplina! Oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu, & animo fieri, quemadmodum ſtuprum.* Quid quod non Rebeccæ modo, verum etiam ethnicarum ſponſarum exemplum chriſtianis ſponſis opponit Tertullianus? Exterioris apparatus vanitatem, & nuptiarum mulierum pompas carpit. Exprobrat chriſtianis ſponſis vel ipſa naturæ iura proſcindere, & pudorem ipſum a natura inſitum, quemque ethnicæ ſponſæ cuſtodiunt, a Chriſtianis dedecorari. *At quia etiam* (pergit ibi Tertullianus) *apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur .... A nobis nec naturalia ſervantur, quaſi alius ſit Deus naturæ quam noſter.* Et rurſus *cap. xii.* clamat contra ſponſarum exquiſitiorem cultum, ſuperſtitioſumque ornatum. *Vertunt capillum, & acu laſciviore comam ſibi inſerunt, crinibus a fronte diviſis apertam profeſſæ mulieritatem. Iam & conſilium formæ a ſpeculo petunt, & faciem moroſiore lavacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinſecus iactant, calceum ſtipant multiformem .... Quid ſingula perſequar? Sola autem manifeſta paratura totam circumferunt mulieritatem.* Seceſſionem ab hominum conſortio deſponſatis virginibus præſcribit *ibidem cap. xiv. & xv.* Tertullianus. Profligati pudoris monſtroſos abortus exponit, & mala quæ ſtudium placendi hominibus parit, ſigillatim deſcribit. *Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica: patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi utique viris. Quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit. Sic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſolvitur, ſic diſcitur aliter iam placere deſiderare. Sed enim vera, & tota, & pura*

*virginitas nihil magis timet quam ſemetipſam: etiam feminarum oculos pati non vult: alios ipſa oculos habet. Confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus iacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque livorem.*

VI. Hæc iam obſolevisse, & contrario uſu antiquata, reponent mollioris Ethices patroni nonnulli, qui videntes oppoſitam corruptelam uſquequaque graſſantem haud poſſe coerceri intra præſcripta & a natura, & a Scripturis pudoris, & chriſtianæ modeſtiæ confinia; Scripturarum teſtimonia, & Patrum doctrinam, immo ipſa naturæ iura aptanda & accommodanda quoquomodo hodiernis moribus, probabiliter opinantur. Sed veritatis zelo ſuccenſus Tertullianus *cap.* XVI. hoc pacto detonat. *In his conſiſtit defenſio noſtræ opinionis ſecundum Scripturam, ſecundum naturam, ſecundum diſciplinam. Scriptura legem condit, natura conteſtatur, diſciplina exigit. Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt; vel quæ diverſæ ſententiæ color eſt? Dei eſt Scriptura, Dei eſt natura, Dei eſt diſciplina. Quidquid contrarium eſt iſtis, Dei non eſt. Si Scriptura incerta eſt, natura manifeſta eſt. Et de eius teſtimonio Scriptura incerta non poteſt eſſe. Si de natura dubitetur, diſciplina, quid Deo magis ratum ſit, oſtendit. Nihil eſt illi carius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil perosius gloria, & ſtudio hominibus placendi. Illud itaque ſit tibi & Scriptura, & natura, & diſciplina, quod ratum Deo inveneris, ſicut iuberis omnia examinare, & meliora quæque ſectari.*

VII. Hæc, quantumvis paullulum prolixiora, reſcribere ex Tertulliano volui, (& ne ſimilia ex Patribus ferme omnibus tranſcribam, ſolius brevitatis ſtudium impedit) ut veram & antiquam ſponſarum & ſponſorum diſciplinam inculcandam hodiernis ſponſis præſentem habeant Parochi. Altius illi clamare debent. Si diſciplina, ſi mores mutati ſunt, numquid Scripturæ ſanctæ, numquid divinæ leges mutatæ ſunt? Numquid mutata natura eſt? numquid minus ad malum prona? numquid minus libidinoſa, minus fragilis, minus lubrica? Immo ardentior, impudentior, luxurioſior facta eſt uſu & conſuetudine, inquis. Fortioribus ergo repagulis coercenda, efficacioribus remediis ſananda, acriori ſtudio cuſtodienda. Hæc, inquam, inculcare Parochi, hæc exaggerare debent propter electos, & ut reprobi nullam habeant excuſationem. Ex Patribus, ex Ritualibus, & ex ipſis Scripturis ſanctis documenta tradenda ſponſis hauriant.

VIII. Imbuant præterea Parochi ſponſos propriæ curæ ſubiectos, doceantque graviſſima onera quæ ſtatum coniugalem comitantur, amorem illum conſtantem & reciprocum, quo ſe, ſive infirmos, ſive ſanos, proſequi, patientiam robuſtam, qua mutuas infirmitates, defectus, exceſſus tolerare debent. Onus graviſſimum educandæ ſobolis, regendæ familiæ, & omnia in Dei gloriam dirigendi ſedulo explicabunt. Moneant gravioribus verbis ut ſi aliqua peccandi conſuetudine alteruter irretitus ſit, ſtatim eradicare illam ſtudeant, ne aut abſolutio illis tum denegetur, cum celebrandæ ſunt nuptiæ, aut ſacrilege ſacramentum matrimonii perficiant; & novi ſtatus fundamenta ſacrilegiis, & flagitiis iaciant, unde poſtea innumera mala, diſſidia, odia, & rixæ inteſtinæ manent. Diligenter eos inſtruat, ut amore chriſtiano & divino ſe ſe diligere diſcant: quia ſi id egerint, integro vitæ decurſu eadem flamma ardebunt; contra, ſi ab amore impudico & venereo, ſi ab amplexibus, oſculis, & actibus obſcœnis orſa duxerint, & in hac, & in futura vita pice, & ſulphure exurentur. Voluptates carnales ſitim non extinguunt, ſed irritant & augent. Vehementi deſiderio concupiſcuntur divitiæ ab avaris, puellæ ab impudicis; at poſſeſſæ ſtatim vileſcunt. Redacta ſponſa in ſponſi poteſtatem & uſum, paucis poſt diebus faſtidio illi eſt & tædio, niſi divinus amor vinculum firmet coniugale. Cur communiter matrimonia non ſunt amoris reciproci fœdera, non mutuus benevolentiæ & tranquillitatis nexus, ſed diſcordiarum, odiorum, & ærumnarum occaſiones? Quia impotens libido, obſcœna flagitia, & ſcelerum catena, non Chriſti ſacramentum corpora coniunxit: ligavit non in Domino, ſed in luto luxuriæ, non ſecus ac equos & mulos, quemadmodum *Tob.* VI. dicitur. *Qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmon ſuper eos. Tu autem.... accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.*

IX. Plura legere Parochus poterit ſaluberrima documenta tam in Scripturis ſanctis, tum in ritualibus libris, ſponſis explicanda, alia ex altari, alia in tribunali pœnitentiæ. Hortari enim debet ſponſos, ut divina ſacramenta frequentent, quorum gratia & inardeſcentem libidinem comprimere, & animos virtutum officiis ornatos præparare ad ſacramentale fœdus ſtringendum valeant. In confeſſione verbis graviſſimis inſtruat, qua caſtimonia, quo pudore, & honeſtate exercere matrimonium debeant. Sermonem temperabit pro ſponſorum diverſo acumine & cognitione. Si prudens Parochus fuerit, omnia quæ ad chriſtianam inſtructionem neceſſaria fuerint, manifeſtare poterit, quin verbum pronuntiet minus pudicum & caſtum. Imbuet illos, ea tantum permiſſa coniugatis eſſe quæ generandis in Chriſto filiis conducunt, iis omnibus reiectis quæ pudor natura inſitus abhorret. Si hanc moniti ſponſi fuerint, brevis de matrimonii uſu inſtructio, ſemper inita, numquam extra confeſſionem facienda, ſufficiet. Quare in id incumbere Parochus in primis debet, ut in ſancto Dei timore educet exerceatque puellas, & iuvenes; & caſtos, pudicos, Deique progeniem propagantes efficiet coniugatos.



## CAPUT II.

*Plures opiniones caſuiſticæ de peccatis ſponſorum reſolvuntur.*

I. AUdiſti, chriſtiane lector, ſanctam ſponſorum diſciplinam ex divinis Scripturis, & ex Patribus hauſtam. Sed heu, heu, quam diverſa eſt illa quam mox deſcripturus ſum ex quibuſdam modernis Doctoribus. Sponſus, ſi ficte ſibi promittant abſque intentione, & animo promittendi, & ſe obligandi, communiter omnes vel benigniores Caſuiſtæ docent peccare mortaliter, quia in re gravi unus decipit alterum, dum verbis exterius ſerio contractum ſponſalium ineunt. Peccant ſimiliter, ſi fraudulenter in re gravi ad contractum pertinente ſe decipiant; puta, ſi ſponſus falſo iactet nobilitatem, ac divitias, & ſponſæ dotem. Sincere itaque & candide omnia quæ contractum ſpectant, manifeſtare oportet.

II. Non obſtringi ad nuptias contrahendas, quando ſponſalia ab alterutra parte ficte contracta fuere, docent Sanch. Lyman. Tamburin. quos citat, & ſequitur Sporer *Part. IV. cap.* 11. *ſect.* 1. *n.* 427. quia, inquiunt, homo non tenetur dictis ſuis facta conformare per ſe loquendo. Promiſſioni autem factæ conſenſus defuit, ſine quo non oritur obligatio iuſtitiæ. Si tamen parti deceptæ damnum immineret, & non poſſet alia via illud compenſare, tunc teneretur deceptor partem deceptam ducere; ut ſi ſponſus ſpe futuri matrimonii invitam virginem defloraſſet; quod tamen, ut ſupra dixi, raro contingit, ſcilicet deflorari invitam. Non admitto tamen horum Auctorum doctrinam, quod nempe homo non teneatur dictis ſuis facta conformare. Immo oppoſitum dicendum eſt, ut alibi oſtendi.

III. Si ſponſi ſe ſe copula carnali cognoſcant ante initum matrimonium, peccare illos mortaliter affirmant omnes. Quidam moderni, inquit P. Sporer *loc. cit. n.* 427. nimium extenuant hoc peccatum, dicentes, *id eſſe leviſſimum inter mortalia, & graviſſimum inter venialia*. Leviſſimum inter mortalia? Unde extenuatur malitia hæc? Immo augetur, quod candidati ad ſacramentum celebrandum mortiferis flagitiis ſeſe indignos conſtituunt. Diximus ſupra, ſponſalia ſacramentalia quædam eſſe: ergo, præter peccatum fornicationis, ritum hunc profanant.

IV. Quær. I. *An ſponſi peccent mortaliter delectando ſe moroſe de copula futura cogitata ut præſenti?* Reſp. Abſolute affirmant omnes etiam benigniores Probabiliſtæ. Quia ſicut copula præſens eſt ſponſis mortaliter illicita, ita & delectatio de eadem habita. Verum plures Benigniſtæ unica præciſione & diſtinctiuncula licitam hanc delectationem effecerunt. P. Sporer *Part. IV. cap.* 41. *ſect.* 1. *n.* 428. „ Aliud eſt conſenſus & complacentia „ in copulam cogitatam ut præſentem, & „ delectationem actualem veneream ex tali „ copula cogitata actu in appetitu ſenſitivo, „ & partibus venereis conſequentem: quod & „ ſponſis de futuro, & viduis de præterito „ mortaliter illicitum, & ſolis coniugibus licitum eſt. *Aliud eſt conſenſus & complacentia in copulam cogitatam ut futuram, & delectationem veneream ex tali copula futura aliquando conſecuturam; quod ſponſis illicitum non eſt. Cum enim ex ipſis ſponſalibus contractis, velut iure inchoato, talis copula, & delectatio ſit aliquando futura, non debent de ea contriſtari, vel eam averſari, ſed licite in eam conſentire, complacere, vel gaudere de ea poſſunt, cum nihil aliud ſit, quam gaudere de ſpe boni futuri, quæ ſpes præſens, & licita eſt. Ita cum plurimis „ Sanchez, Diana &c.* "

V. Animadvertere debuerant benigni iſti Probabiliſtæ, mentem humanam eſſugere utique poſſe metaphyſicas præciſiones; at concupiſcentiam non præſcindere, ſed ferri, abripi, & volutari in luto venereo, prout eſt reipſa. Copula futura eſt; at complacentia

& gaudium de eadem præſens eſt: propterea hæc præſens voluntaria complacentia, hoc præſens gaudium venereum mortiferum eſt in ſponſis, non ſecus ac in aliis ſolutis hominibus. Mens cogitat de futura copula, & voluntas atque concupiſcentia de præſenti delectatione & complacentia gaudet. Sponſi, inquiunt Sporer, Sanchez, & Diana, non debent hanc delectationem & complacentiam *averſari, ſed licite in eam conſentire, complacere, vel gaudere de ea poſſunt*. Vin' benigniora? Sed melius dicam lutulentiora? Inſitus a natura pudor hanc doctrinam abhorret.

VI. Quæſt. II. *Liciti ne ſunt tactus, oſcula, & amplexus inter ſponſos?* Reſp. P. Thomas Sanchez *Lib. I. diſp.* 11. *n.* 5. „ Secundum „ communem ſententiam liciti ſunt amplexus „ & oſcula inter ſponſos de futuro, eo quod „ ſponſalia ſunt initium quoddam matrimonii: „ ac proinde concedunt jus utendi *voluptate* „ *præambula matrimoniali*. Ergo per ſponſa„ lia acquiritur jus in corpus, alias nullus il„ lius uſus concederetur: & conſequenter „ violans hoc jus per fornicationem, reus erit „ ultra fornicationem, injuſtitiæ admiſſæ ne„ ceſſario aperiendæ in confeſſione. Et hæc „ ſententia eſt valde probabilis. "

VII. Duplicem diſtinguunt recentiores iſti voluptatem carnalem, alteram *præambulam*, alteram *conſummatam*. Voluptas præambula *ſponſis*, voluptas conſummata maritatis conceditur. Rationem produnt. Sponſalia ſunt initium matrimonii. *Ergo per ſponſalia acquiritur jus inchoatum in corpus: alias nullus illius uſus concederetur*. Ergo concedenda eſt ſponſis *voluptas præambula*. Hæc doctrina communis eſt, inquit P. Sanchez, inter recentiores. Quia vix aliquis Caſuiſta unam laxam opinionem evulgat, quin cæteri eam amplectantur, & amplificent.

VIII. Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 5. *n.* 91. hanc eamdem doctrinam ut probabilem defendunt, inquientes: „ Utrum inter ſponſos de futuro ſint licita „ oſcula, amplexus, tactus, verba amatoria „ &c. extra pollutionis periculum? Reſpon„ detur, quod ſi tales actus ad captandam „ voluptatem fiant, erunt peccata venialia... „ Si ob ſignum amoris, nullum erit peccatum, „ dummodo ſponſalia inter eos ſint abſoluta, „ non vero ſi conditionata fuerint. Ratio eſt „ quia ſicut ſponſalia ſunt *inchoatio quædam* „ matrimonii; ſic etiam liciti ſunt in illo „ ſtatu actus qui quodammodo ſunt copulæ „ inchoatio & initium. Sanchez *Lib. IX. diſp.* „ XLVI. Averſa.. Diana.. Bonacina.. Azor. "

IX. Apertius doctrinam Sanchezii, Dianæ, & aliorum patefaciunt Salmanticenſes. Liciti ſunt, inquiunt, ſponſis tactus, oſcula, & amplexus. Cur? Quia *quodammodo ſunt copulæ inchoatio, & initium*. Inchoatio ergo copulæ ſponſis mediis tactibus, oſculis, & amplexibus licita eſt. Copulæ vero conſummatio ipſis conjugibus reſervatur. Addunt tamen, hoc intelligendum eſſe, *niſi tactus ſint vel aſpectus valde turpes, & in inhoneſtioribus partibus*. Quærendum eſſet ab illis recentioribus, undenam acceperint cultrum ad præcidendam hanc delectationem in partes duas, nempe in inchoatam, & conſummatam; unamque partem tribuendam ſponſis, *alteram* conjugatis; ſeu partem *præambulam* ſponſis, *alteram* vero maritatis. Verum quid in hoc luto ludimus? Deriſione & contemptione explodenda doctrina hæc. Tertulliani machæra opus eſſet adverſus hæc lutulenta paradoxa. Licet humana mens has metaphyſicas præciſiones effingat; voluntas tamen concupiſcentiæ ſulphure accenſa irruit, & omnibus his repagulis probabiliſticis effractis, abripitur ſemel commota impotenti impetu in plenam conſummatamque venerem. Hinc eſt quod plus aliquid ſponſis concedit alter benigniſſimus Probabiliſta urbanitatis gratia.

X. P. Thomas Tamburinus *Lib. VII. cap.* III. *n.* 51. *pag.* mihi 203. ſic ait: „ Sponſis „ de futuro valde probabiliter ſine peccato li„ cent quædam amoris ſigna, qualia ſunt oſ„ cula, tactus, aſpectuſque pudici, ac locu„ tiones amatoriæ, *etiam propter delectatio*„ *nem in illis reſidentem*, ſed ſine periculo pol„ lutionis, vel conſenſus in illam, vel in copu„ lam: at nullo modo impudici. Ita Tho„ mas Sanchez . . . *Quam excuſationem in*„ *venio ſic ſponſo eas actiones pudicas exercente* „ *cum pollutionis periculo prævißo, ſed non in*„ *tento, & ſine periculo conſenſus in illam.* „ *Nam ſi in occaſione eſſet, UT INURBANUS* „ *haberetur, ſi ab illis abſtineret, poſſet eas* „ *uſurpare, quia jam adeſt rationabilis excuſa*„ *tio*. "

XI. Hæc doctrina lutulentior eſt præcedenti. Quare non oratione, ſed contemptione explodenda, & exterminanda de medio Chriſtianorum eſt. Etiam cum pollutionis prævißione exercere oſcula, tactus, & amplexus mutuos ſponſi valent, ne alter inurbanus habeatur? Pudicos vocat tactus, pudicos amplexus qui ſunt prævißæ pollutionis cauſſa? Quænam ſunt paradoxa iſta? Venenum natura ſua mortale ſorbendum concedit, dummodo abſit mortis periculum? Neque impudicitia,

ne-



neque periculum conſenſus ſeparari ab ejuſmodi oſculis, tactibus, amplexibus cum prævißæ pollutionis periculo poteſt. Fruſtra ergo chimæricis antidotis temperare impura flagitia ſtudet Auctor iſte, cum non alio hæc tendant natura ſua, quam ut ſecurius ſponſi, talia in Theologis legentes, in lutum ſe ſe immergant libidinis, & in eodem volutentur.

XII. Tamburini impudicam doctrinam tranſcribit P. Sporer *n.* 470. eamque probat. Et prius illam docuit P. Georgius Gobat *tr.* X. *n.* 672. Tandem P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *qu.* XXII. *n.* 151. recenſita paradoxa tranſcribit, quin ea improbet: narrat ſimul contrarias aliorum Theologorum ſententias, & more ſuo probabiliſtico omnes ſimul congeſtas lectorum arbitrio ſubjicit; inclinare ſe tamen oſtendit in poſteriores contrarias ſententias ut probabiliores.

XIII. Objiciunt benigni Probabiliſtæ. Sponſi licite anhelant matrimonium, tamquam opus honeſtum. Ergo licitum quoque erit delectari de copula conjugali, quæ eſt ejuſdem matrimonii uſus. Hæ ſunt ſubtiles argumentationes caſuiſticæ, quæ ſi conſiſterent, etiam homines, & mulieres ſolutæ licite poſſent de copula futuri matrimonii delectari, cum licite deſiderare matrimonium valeant. Reſpondetur igitur negando conſequentiam. Diſtinguendus eſt matrimonii uſus ab ipſo matrimonio. Sponſi, & omnes ſoluti licite appetere matrimonium poſſunt, quia omnibus ſolutis licitum matrimonium eſt; at uſus matrimonii ſolis conjugatis competit. Ergo qui non ſunt conjugati, delectari de hoc ipſo nequeunt, neque illum appetere. Hac diſtinctione poſita, corruunt omnes argutiæ, & ſubtilitates caſuiſticæ evaneſcunt.

XIV. P. Georgius Gobat *tract.* X. *n.* 691. hæc habet. " Certum eſt apud omnes DD. „ oſcula, tactus, amplexus non impudicos li„ cite fieri inter ſponſos, quando fiunt ſecun„ dum conſuetudinem patriæ in ſignum be„ nevolentiæ ad conciliandum & fovendum „ mutuum amorem in ordine ad matrimo„ nium. Ita loquitur Perez. Et quidem ſunt „ ob finem prædictum licitum liciti hi actus, „ *licet adſit periculum pollutionis*, modo non „ ſit periculum conſenſus in veneream dele„ ctationem. " At unde didicit nova benignitas ſeparare periculum conſenſus in veneream delectationem a periculo pollutionis in ſponſis, qui effictim ſe diligunt? Libidinis exercitium permittitur; & poſtea præciſionibus metaphyſicis incruſtare illud curant Doctores quos citat P. Gobat.

XV. P. Th. Sanchez *Lib. IX. diſp.* XLVI. *n.* 48. „ Oſcula, & amplexus, aliique tactus non „ impudici excuſantur a culpa mortali inter „ ſponſos de futuro ratione contractus ſpon„ ſalium inter ipſos initi. Ratio eſt, quo„ niam ſicut matrimonium ipſum cohoneſtat „ copulam; ita ſponſalia, quæ quoddam ma„ trimonii initium ſunt, cohoneſtare debent „ hujuſmodi tactus, *qui inchoatio quædam ſunt* „ *copulæ*, præſertim quia ſic magis fovetur „ amor in ordine ad matrimonium. *N.* 49. „ Atque hæc concluſio vera eſt, quamvis ſpon„ ſi *intendant eam delectationem* ſenſitivam, „ quæ ex ipſis amplexibus, & oſculis oritur. „ Quia ſponſalia, quæ matrimonii initium „ ſunt, *excuſant a mortali hanc delectatio*„ *nem, quæ copulæ inchoatio eſt, & in omni*„ *no ſolutis eſſet culpa mortalis*. "

XVI. P. Georgius Gobat *tract.* X. *n.* 672. „ Sanchez *loc. cit. n.* 49. utitur quidem no„ mine delectationis *ſenſitivæ*; ſed per hanc „ *certo* intelligit *veneream*, ut patet ex n. 5.... „ Fateor tamen non raro fieri, ut Confeſſarius „ *cogatur in praxi ſupponere ſententiam San*„ *chezii*, niſi velit tales ſponſos dimittere *ſi*„ *ne abſolutione*, utpote quibus ægre perſua„ debis *aut illos amplexus, oſcula &c. eſſe* „ *mortalia; aut ut agnoſcentes eſſe mortalia,* „ *forment propoſitum ſe emendandi*. "

XVII. Dilemma P. Gobat validum & urgens eſt. Aut difficile ſuadebat Confeſſarius ejuſmodi oſcula, amplexus, & tactus cum *delectatione venerea* exercitos eſſe mortalia; aut ſi ſponſi agnoverint eſſe mortalia, difficile *formabunt propoſitum ſe emendandi*. Ergo aut dimittendi eſſent *ſine abſolutione*, aut adhibenda eſt *ſententia Sanchezii*. Non primum. Ergo ſecundum. Ad hoc enim *cogitur* Confeſſarius, ut admittat ſententiam P. Sanchez, *niſi velit tales ſponſos dimittere abſque abſolutione*. Sed tales ſponſi ex tactibus, & oſculis delectationem veneream captant. Hæc delectatio, inquit Sanchez, *eſt copulæ inchoatio, & in omnino ſolutis eſſet culpa mortalis*. Sponſalia ergo efficiunt ut quæ ſunt in ſolutis flagitia mortalia, ſint in ſponſis culpæ veniales! Paradoxa laxitatis hæc ſunt, quæ caſtis auribus ſcandalum ingerunt. Subdit ibi P. Gobat: *Nulli autem modo eſt hæc doctrina prædicanda cum ſponſis qui contraxerunt ſponſalia ſub conditione*. Sponſalia abſoluta purgant delectationem veneream captatam ex oſculis & tactibus, ſecus ſponſalia conditionata a culpa mortali. Verum hæc refellenda non ſunt, ſed deteſtanda.

MO-

## MONITUM

*Ad Confeſſarios.*

CONferant iſti velim indicatas recentiorum opiniones cum Patrum SS. doctrina, quam capite ſuperiori recenſui. Docent Eccleſiæ Patres, ſponſalia ritum quemdam ſacramentalem eſſe, & tyrocinium virtutum, quibus ſponſi ad magnum Eccleſiæ ſacramentum ſe præparent. Contra recentiores citati ſponſalia conſtituunt tyrocinium *voluptatis præambula*, *voluptatis ſenſitivæ*, *copulæ initialis*. Patrum doctrina ſanctitatem & caſtimoniam ſpirat; & Scripturarum documenta, quæ illi allegant, pudorem, verecundiam, & honeſtatem naturalem fovent & cuſtodiunt. Horum recentiorum paradoxa communi ſenſui adverſantur, & cum naturali pudore ac verecundia pugnant. Opponunt illi, Doctores temporum diſpicere caſus temporum, fruſtraque in Patribus quæri caſus quos explicant moderni Theologi plures. Et verum dicunt. Nam S. Auguſtinus, ut ſileam ceteros, qui libros integros de coniugio ſcripſit, numquam ſimiles putidos caſus diſpexit. An ſponſalia tum non erant? An natura, concupiſcentia, & libido hominum mutata? Hæc quæ retuli paradoxa horrorem vel ipſis Confeſſariis ingerunt, quia nimium carnalia & pudori oppoſita. Sed hinc addiſcant, quo plurium Caſuiſtarum incauta benignitas compellat. Laxæ opiniones in ceteris materiis non adeo offendunt communem ſenſum, quia magis a carne diſtant; at non ſunt minus æternæ ſaluti pernicioſæ. Cauti ergo ſint Confeſſarii & Parochi in legendis nonnullorum recentiorum libris, & in Patrum, Concilii Tridentini, Catechiſmi euſdem, & ſacrorum ritualium librorum lectionem ſedulo incumbant.

## CAPUT III.

*De peccatis coniugum in contrahendo matrimonio.*

I. PEccant, & quidem mortaliter, coniuges, ſi animo ficto matrimonium celebrent. Peccant primum contra ſanctitatem ſacramenti peccatum ſacrilegii. Deinde contra iuſtitiam cum fictor, & deceptor iniuriam gravem inferat parti bona fide contrahenti. Quam deceptionem compenſare tenetur conſenſum legitimum præſtando, niſi pars decepta aliam admittere compenſationem ſponte velit, vel niſi adſint rationum momenta quæ aliam compenſationem præſcribant.

II. Si matrimonium ſcienter cum aliquo impedimento ſive dirimente, ſive impediente celebrent, peccant graviter, ut omnes docent: quia in re graviſſima violant præceptum aut divinum, aut eccleſiaſticum. Si impedimentum impediens fuerit, peccatum ſacrilegii perpetrant ſaltem ut ſuſcipientes ſacramentum, quemadmodum omnes fatentur. Delinquunt præterea contra virtutem cui impedimentum opponitur. Si vero impedimentum ſit dirimens, Sanchez *Lib. VII. diſp.* v. Perez *diſp.* XXI. Dicaſtillus *diſp.* VII. Diana *Part. VIII. tract.* IV, *reſol.* 287. Gobat, & alii docent, peccare quidem contrahentes mortaliter contra præceptum divinum, aut eccleſiaſticum, ſecus peccatum ſacrilegii; neque ut ſuſcipientes, neque ut miniſtrantes: quia tunc ſolum initant contractum naturalem, quo ſublato, deficit ſacramenti ratio. Verum hæc opinio falſa eſt. Chriſtiani quippe ſciunt ſe celebrare matrimonium ut ſacramentum eſt. Neque ratio ſacramenti a contractu matrimonii ſeparari licite abſolute poteſt. Porro tales contrahentes abutentur ſacris Eccleſiæ ritibus, & ſcienter ſacramentum publice ſimularent. Indirecte utique ſacramento iniuriam irrogant ſubtrahendo eiuſdem materiam; at hoc non tollit quin ſacrilegio ſe ſe polluant.

III. Ignorantia invincibilis a peccato excuſat, ut notum eſt, ne contrahentes peccent; minime vero efficit ut matrimonium ſit validum. Quid, ſi unus coniugum dubitet de aliquo impedimento, & poſt diligentem inquiſitionem deprehendere veritatem nequeat? Caramuel, Gobat, Diana, Ioannes Sanchez, Tamburinus *Lib. I. in Decal. cap.* III. §. 3. *V. Dilreuſ.* hanc licite contrahere aſſerunt ob probabiliſticum axioma, quod poſſeſſionis privilegium faveat. Sed hæc opinio falſa eſt: tum quod in dubiis tutior pars eſt eligenda: tum quod coniux dubitans iniuriam gravem irrogat coniugi alteri, qui contrahere cum tali coniuge dubitanti nollet; tum denique quia in ſacramentis perficiendis tutior pars eſt eligenda.

IV. In recenſitis caſibus impedimentorum non contrahentes modo, verum etiam cooperantes, & non obſtantes peccant, ut Confeſſarii, Parochi, parentes, conſanguinei, & omnes conſcii impedimentorum, ſi præcipue poſt denuntiationes non impediant monendo Superiores impedimenti quod obſtat, ut ſupra dictum eſt.

V. Pœnæ contra ineuntes matrimonia cum impedimento dirimente habentur in *Clementina unica de conſanguinit. & affinit.* ubi Pontifex

tifex



tifex ſic ſtatuit: *Eos qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonium non verentur, nec non Religioſos, & Moniales, & Clericos in ſacris conſtitutos matrimonium contrahentes, excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere.* Excommunicatio hæc reſervata non eſt, neque extenditur ultra impedimenta recenſita, nempe conſanguinitatem, & affinitatem, & votum ſolemne: quia odia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda.

VI. Peccant inſuper coniuges qui conſcientia mortalis culpæ ad hoc ſacramentum accedunt. Hoc enim vivorum ſacramentum eſt, quia viventes vita gratiæ, quæ omnem peccati mortalis affectum excludit, ſuſcipere illud debent. Qui igitur peccato mortali contaminati ad illud accedunt, grave perpetrant ſacrilegium.

VII. Peccant ſimiliter plus minuſve qui more paganorum ſacram nuptiarum ſolemnitatem pompis ſatanæ exornant, hoc eſt luxu immodico, choreis, conviviis, inſtrumentorum ſonitu, a quibus ſobrietas, & temperantia exulant, in quibus pudor & modeſtia vertuntur in crimen, amatoria colloquia, & cantica obſcœna aures demulcent. Talia ne Chriſti ſacramentum decent? Numquid Chriſtus præſentia ſua tales honorat nuptias? Quæ enim participatio ſanctitatis cum iniquitate, quæ conventio Chriſti ad Belial? Pleri que rituales libri lecti nuptialis ſacram benedictionem præſcribunt. At numquid inter rediviva ethnicorum ſpectacula ſacri Eccleſiæ chriſtianæ ritus exerceri licite valent? Percurrito paganorum ſive vetuſtas, ſive recentes hiſtorias, mores & conſuetudines. Inquire, num profanior luxus, num immoderatiores pompæ, num ſolutiores choreæ, num obſcœniora cantica, num intemperantiora convivia, num immodeſtiora colloquia, num impudentiora tripudia tempore nuptiarum graſſentur apud paganos, infideles, hæreticos, an apud non paucos Catholicos, qui nuptias ſacras ut magnum ſacramentum venerantur, qui nuptias ſacra in ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia celebrant, qui ſolemni voto pompis ſæculi renuntiarunt. Quis non commoveri ſe ſentit, dum tam profana, & tam paganica portenta ſacratioribus Chriſtianorum ritibus conſociari videt? Plura ſacramenta, nempe pœnitentiæ, Euchariſtiæ, matrimonii illo ipſo forte die quo novi coniuges recenſitis indulgent tripudiis, ſpectaculis, ſaltationibus, ſuſceperunt. Et tamen, dum hæc monſtruoſa phænomena deteſtamur, ſibilis & cachinnis excipimur, quaſi prævaluiſſet, & ubiquaque inundantes corruptelas auferre audeamus. At tametſi hæc monſtra de medio Chriſtianorum tollere non valeamus, non propterea declamare contra eadem ceſſabimus, S. Bernardo *Lib. IV. de conſid. cap.* III. conſulente. *Apud Deum non erit impoſſibile omne verbum. Si duræ frontis ſunt, durato & tu e contra tuam: nihil tam durum, quo duriori non cedat.* Moderatos ornatus, ſplendidiorem veſtitum, convivia temperata, honeſta ſolatia probo & ego: ea tantum omnia deteſtor quæ cum pudore, modeſtia, ſobrietate, & cum ſancta profeſſione baptiſmali hoſtiliter pugnant.

## CAPUT IV.

*De obligatione coniugum in mutua debiti redditione.*

I. CElebrato matrimonio legitimo, plura hinc debita conſequuntur quæ implere coniuges aſtringuntur. Primum debitum ſpectat coniuges ipſos; eſt vero illud uxoris erga maritum, & mariti erga uxorem. Alterum eſt utriuſque erga prolem. Obligationes reciprocæ uxoris, & mariti ſunt individua vitæ ſocietas, tori fides inviolata, debiti coniugalis redditio, mutua caritatis & benevolentiæ officia. Ad maritum attinet uxorem alere, induere, protegere, imbuere. Uxoris eſt maritum revereri, eidem obedire, familiam gubernare, rem domeſticam cuſtodire. Mariti & uxoris eſt diligere prolem, eamque & corporali, & ſpirituali cibo nutrire, educare in lege ſancta Dei, & iis quæ ſtatum & conditionem propriam ſpectant. Contra hæc multiplicia debita peccare variis modis coniuges poſſunt. Hæc omnia explicare diſtincte curabo.

II. Quæſt. I. *Quænam eſt coniugum obligatio ad matrimoniale debitum ſolvendum?* Reſpondeo. Convenit penes omnes coniugum neminem obſtringi ad debitum petendum: quia nemo uti iure ſuo cogitur, ſed pro ingenio & libertate renuntiare illi valet. Similiter certum eſt, petenti reddendum debitum eſſe, & quidem ex iuſtitia. Dupliciter autem exigi poteſt, expreſſe, & tacite. Tacita petitio ſignis & indiciis proditur. Maritus uxori tacite petenti reddere tenetur, & mulier ſimiliter viro; quamquam raro occurrat in viro tacita dumtaxat petitio, frequenter vero in uxore propter verecundiam, ut Angelicus in *Supplem. quæſt.* LXIV. *art.* 2.

de-

docet, cui omnes ſubſcribunt. *Petere debitum contingit dupliciter. Uno modo expreſſe, ut quando verbis invicem petunt. Alio modo interpretative, quando ſcilicet vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet. Et ita etiamſi verbis non expreſſe debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua ſigna in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.* Et hoc verum habet, etiamſi vir aliquo impedimento voti, affinitatis, aut cognationis ſpiritualis ligatus eſſet: quia reddit, & non petit; dummodo revera hæc ſigna in uxore appareant.

III. Quando ſive maritus, ſive uxor prævidet aut in ſe, aut in altero periculum imminere incontinentiæ, quod avertere petendo valet, petere obſtringitur; ut S. Thomas *loc. cit. ad* 1. docet. Hæc obligatio frequentius urget uxores, quæ dum prævident maritos inclinari in alias mulieres, ut libidinem expleant, illos honeſtis blanditiis, & oblectamentis ad ſe allicere debent, ut hac via in ordinem redigant, & ab adulteriis retrahant. Quare mortaliter peccant, niſi iuſta cauſſa excuſet, dum expreſſe, vel tacite petenti debitum ſibi denegant: quia vi contractus matrimonialis ad hanc reciprocam ſolutionem obſtringuntur. *Nolite fraudare invicem*, inquit S. Paulus *I. Cor.* VII.

IV. Quæſt. II. *Qua cauſſa excuſare a debito reddendo valeat?* Reſp. Plures ſunt caſus in quibus a debito reddendo coniux eximitur. Et primum ſi vitæ periculum, aut gravis infirmitatis timeatur, a debito reddendo ſive vir, ſive uxor excuſatur. Rationem S. Thomas in *Suppl. qu.* LXIV. *art.* 1. tradit. Quia ordo tum naturæ, tum caritatis poſtulat ut primum propriæ perſonæ conſervationi, & incolumitati provideatur, & deinde prolis generationi. Levia tamen incommoda ab hoc ſolvendo debito non eximunt; ut patet in aliis iuſtitiæ contractibus. Uxores frequenter aliqua levi infirmitate capitis, ventris &c. laborant; non propterea ab iſtius debiti redditione liberantur: alioquin importabile eſſet matrimonii iugum. Ceterum vix aſſignari aliqua generalis regula poteſt, cum circumſtantiæ ſint innumeræ. Prudentis Confeſſarii conſilio definiri hæc poſſunt, & ipſorum coniugum, ſi bene morati fuerint, iudicio. Quando grave detrimentum propriæ ſaluti imminet, tametſi periculum incontinentiæ inſtet in petente, reddendi obligatio non urget: quia tunc aliis remediis coercenda incontinentia eſt.

V. Si morbo gallico, qui petit, infectus ſit, reddendi obligatio non adeſt: immo talis infirmus peccat petendo, quando iudicio medicorum infectionis periculum eſt; niſi talis morbo ante matrimonium contractum inquinatus fuiſſet, & alteri innotuiſſet, quia tunc ceſſiſſet iuri ſuo. De leproſo hæc *loc. cit. ad* 4. docet Angelicus. *Uxor viro leproſo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare: quia non ita inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione, & quamvis proles generetur infirma, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe.* Ad hoc etiam quod attinet, ſpectandæ circumſtantiæ ſunt. Nam ſæpe caritas urget ut coniuges alicui periculo ſe exponant ad evitandæ incontinentiæ crimina. Regula tamen fixa manet, quod ex caritate primum omnium quiſque propriæ incolumitati, & ſaluti proſpicere debet. Quare ſi in concubitu cum leproſo revera periculum inſtaret propriæ infectionis, nulla eſſet redditionis obligatio.

VI. Quæſt. III. *Licitum ne eſt petenti negare debitum, ne filii multiplicentur?* Reſp. Si adſit alendi filios facultas iuxta proprium ſtatum, debitum negari abſque manifeſta iniuſtitia nequit, præſertim cum matrimonium ob finem multiplicandæ prolis inſtitutum ſit. Si vero facultas deſit alendi filios, ſi plures ſint, ſi coniuges fuerint aliis procreandis apti, ſi deſit incontinentiæ periculum, tunc a reddendo debito liber coniux eſt, quando non ſuppetit ſpes filios alendi. Si vero periculum incontinentiæ urgeat, tunc reddendum debitum eſt. Ceterum vix umquam multiplicatio filiorum excuſat a debito reddendo: illa enim providentia divina quæ ad ſtatum matrimonialem vocavit, filiis alimenta ſubminiſtrabit. Providentiæ divinæ iniuriam irrogant parentes, dum diffidunt ne ea ſubminiſtratura filiis ſit, in timore Domini procreatis, neceſſaria alimenta. Impotentia alendi filios quæ allegatur, ex ſuperbia, avaritia, & ambitione ſæpe proficiſcitur. Verentur ſæpe parentes, ne ſi filii multiplicentur, valeant eos ſecundum inſanientis mundi pompam, faſtum & luxum inſtituere, ne patrimonium in plures portiones ſcindatur, ne familiæ ſplendor decreſcat. Brevi, ex vanis, & mundanis rationibus paſſim hæc alendi filios impotentia oritur: quia divites communiter & nobiles hanc inopiam obtrudunt, raro vero, aut numquam artifices, operarii, & pauperes. Quare nonnulli recentiores nimis facile hanc excuſationem admittunt. Si hoc penuriæ impedimentum vere occurrat,

tum



tum coniuges mutuo conſenſu abſtinere a concubitu valent, conſilio tamen prudentis directoris, ne alter ob humanos reſpectus conſentiat, & in periculo incontinentiæ verſetur; quod maxime cavendum eſt. Antequam matrimonium contrahatur, omnes magnam & firmam in divina providentia iactant fiduciam. Pauci ſunt qui ob defectum facultatis alendæ ſobolis a matrimonio abſtineant; Et tamen revera tunc peccant, ſi ſe ad alendam prolem ineptos cognoſcentes matrimonium ineant. Matrimonio contracto, & ſaturata per aliquot annos libidine, tum obtrudere paupertatem, & impotentiam alendi tot filios ſolent: quia aut uxor diſplicet, aut inveterata vitia ſuperbiæ, ambitionis, & avaritiæ mentem faſcinant. Quare cautus ſit Confeſſarius in admittenda eiuſmodi excuſatione cum præiudicio petentis debitum. Communiter viri hunc prætextum opponunt, quia aliunde concupiſcentiæ ſuæ provident, nihil uxoris incontinentiæ periculum curantes; propriamque ſalutem æterno diſcrimini committunt, ut duos aut tres filios ditiores conſtituant.

VI. Quæſt. IV. *An peccet uxor quæ experta ſe proprios filios mortuos parere, negat debitum petenti?* Reſp. Auctores communiter negant talem mulierem peccare, quia edendo filios mortuos ipſa ſe mortis periculo exponit. Si tamen ipſa incontinentiæ periculo obnoxia ſit, tunc & reddere, & petere poterit, fidens divinæ providentiæ, quæ ſuccurrere ſancte matrimonium exercenti non ceſſabit: præſertim quod licet ſæpius acciderit ut filios mortuos pepererit, non inde tamen ſequitur quod id ſemper evenire debeat. Tandem prius ſemper animæ, deinde corpori conſulendum eſt.

VIII. Nimis frequens petitio excuſat a debiti redditione, ut S. Thomas in *Supplem. quæſt.* XLIV. *art.* 1. *ad* 3. docet: *Dicendum, quod ſi aliquis reddatur impotens ad debitum ſolvendum ex cauſſa ex matrimonio ſecuta, puta cum prius debitum reddidit, & eſt impotens ad debitum ſolvendum, ulterius mulier non habet ius petendi; & in petendo ulterius ſe magis meretricem quam coniugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alia cauſſa, ſi illa eſt licita, ſic iterum non tenetur, nec poteſt mulier exigere: ſi vero illicita eſt, tunc peccat; & peccatum uxoris, ſi propter hoc in fornicationem labatur, aliquo modo ſibi imputatur. Et ideo debet, quantum poteſt, dare operam ut uxor contineat.*

IX. Hinc peccat mortaliter coniux qui mediis illicitis ad reddendum debitum ſe inhabilem conſtituit: ut ſi ſe polluat, aut ad alias mulieres accedat, tunc ultra crimina mollitiei, & adulterii, peccat contra iuſtitiam debitam coniugi petenti. Immo non ſolum illicitis, ſed neque licitis mediis impotentes ſe reddere iure valent coniuges ad debitum reddendum. Quare ſi nimia auſteritate vitæ, & ieiuniorum frequentia ita corpus alter extenuaret, ut impotens fieret ad debitum petenti ſolvendum, & ſcienter hoc faceret, peccaret contra iuſtitiam; ſicut qui eleemoſynas erogando impotentem ſe redderet ad debita creditoribus ſolvenda. Quamobrem aliquando liberatur coniux a ieiuniis præcepto impoſitis, quando hæc obſtarent ne moderate, & ſobrie petenti reddere poſſet. Raro tamen hoc accidit, infirmitate ſublata. Quoniam vix umquam moderata ieiunia ab Eccleſia præſcripta, & congrua pœnitentiæ exercitia, vel honeſta litterarum exercitia ita vires extenuant, et pulchritudinem mulieris diminuant, ut impotentiam inducant ad debitum reddendum. Aliud enim eſt quod ſit abſolute impotens, aliud, quod robuſtior, validiorque eſſe debeat. Non tenetur coniux ab honeſtis pietatis, ieiuniorum, pœnitentiæ, applicationis exercitiis abſtinere, ut robuſtior, vegetiorque fiat ad reddendum debitum: immo ſi horum operam labore pro aliquo non longo tempore impotens efficiatur, ut animæ ſuæ conſulat, non propterea peccat. Prudentia tamen in his omnibus opus eſt, & maturo conſilio, quo diſcernatur quid indulgendum ſit fragilitati, & quid præſtandum, ut mutua pax, benevolentia, & tranquillitas reciproca foveantur. Marito chriſtiano numquam faſtidio erit uxor, moderatis ieiuniis, precibus, aliiſque pietatis operibus operam navans. Si maritus diſſolutus, maleque moratus fuerit, numquam illum ſive officiis, ſive blanditiis, ceteriſque femineis faſciniis lucrabitur. Ad prudentiæ itaque chriſtianæ regulas moderanda eſt vitæ ratio: quia hæc ſola coniugalem nutrire amorem valet.

X. Quæſt. V. *Coniux occulti adulterii reus peccat ne petendo?* Reſpond. Communis ſententia docet, occultum adulterum coniugem poſſe petere ſine peccato, non tamquam rem debitam ex iuſtitia, ſed ex benevolentia concedendam: quia abſolute coniux adulter non privatur uſu coniugis, ut privaretur ex impedimento inceſtus &c. ſed pœnam incurrit, quam ante ſententiam iudicis ſubire non tenetur. Coram Deo tamen cogere innocen-

tem

tem non poteſt ad reddendum; ſed implorare ex quadam benevolentia poteſt. *Adulterans* (inquit S. Antoninus III. Part. tit. 1. cap. XXI. §. 9.) *quia peccando in legem matrimonii actu coniugali indignum ſe reddidit, non debet exigere, niſi purgata culpa; alias peccat: reddere tamen tenetur exactus, ſecundum Raymundum.* Vide plura ſupra de divortio.

## CAPUT V.

*Quando coniux illicite petenti negare debitum valet?*

I. QUæſt. I. *Si coniux affinis factus ex fornicatione poſt matrimonium iniuſte petat, poteſt ne innocens coniux reddere?* Reſp. Diſtinguunt communiter Auctores petitionem illicitam a petitione iniuſta. Illicite petit qui iure petendi præditus aliqua circumſtantia prohibetur petere; iniuſte vero petit qui ius petendi amiſit. Dupliciter autem iniuſte petere quis poteſt, nempe vel iniuſtitia reſpiciente actum, ut quando coniux petit in tali loco, tempore, modo &c. cum periculo mortis fetus, vel impediendæ generationis; vel iniuſtitia afficiente perſonam, aliquo impedimento ligatam. Communior opinio docet, coniugem innocentem poſſe licite petere: quia non amiſit ius petendi ex delicto alterius: ſi licite petere, potiori iure reddere licite valet. Hinc in bimeſtri, in quo neuter ius petendi habet, non poteſt qui eſt affinis ob fornicationem, vel voto caſtitatis adſtrictus, reddere alteri petenti, ſicuti neque petere, quo in caſu aut ſeparari, aut caſte vivere, aut diſpenſationem petere debent. Qui enim eſt affinis, inceſtum committit, dum cognoſcit coniugem affinem. Et tum ſolum excuſatur propter debiti redditionem, quando ius petendi in altero adeſt: quia tunc fortius ius, quod eſt iuſtitiæ, prævalet iuri eccleſiaſtico præſcribenti impedimentum affinitatis, vi cuius prohibetur a coniugali concubitu. Quando igitur tale ius alteri deeſt, nequit licite reddere. Similiter coniux voto caſtitatis ligatus nequit alteri petenti licite reddere, ſi huic deſit ius petendi; ſi ius adſit, tenetur reddere: quia tum fortius ius, ex matrimonio ortum, prævalet voto, quod ſervari Deus non vult cum detrimento alterius. Excuſant tamen Auctores plures feminam voto caſtitatis, vel affinitate ligatam, reddentem viro privato iure petendi ad declinandam infamiam, diſcordias, iurgia; quod ius eccleſiaſticum non obliget cum tanto incommodo, & detrimento.

II. Quando coniux illicite petit ex parte perſonæ, quia eſt voto caſtitatis adſtrictus, vel quia prava intentione petit, tunc alter reddere tenetur: quia votum non adimit ius petendi, ex legitimo matrimonio ortum; ſed ſolum efficit ut illicite petat. Peccat ergo contra ius matrimonii coniux qui debitum negat. Neque hinc ſequitur, reddentem peccati alterius participem fieri. Siquidem licet fenerator peccet exigendo uſuras, qui tamen inopia preſſus ſolvit, non peccat. Coniux enim reddens dat operam actui licito, non alterius peccato. Furioſo petenti gladium non eſt reddendum, quia illo abuſurus prævidetur in damnum proximi; quod caritatis titulo vitandum eſt. Nec eſt quod inſiſtas, petenti cum detrimento propriæ ſalutis corporalis non eſſe reddendum: quia qui petit cum gravi detrimento ſanitatis corporalis, iure petendi privatus eſt, cum dominio prodigendæ ſanitatis corporalis careat. Peccatum autem ius petendi non adimit.

III. Diſputant Auctores, num qui votum caſtitatis emiſiſſet, & matrimonium iniret, teneretur ingredi Religionem ante conſummationem? Negant communiter: quia qui votum emiſit, non poteſt cogi ad reddendum quod eſt re promiſſa difficilius. Profeſſio autem Religionis difficilior caſtitate promiſſa eſt. Peccaret tamen nubendo, & petendo, ſecus reddendo. Si tamen vovens ſciret, dum votum emitteret, ſe aliter illud ſervare non poſſe, quam ingrediendo Religionem, tunc teneretur ingredi ante conſummationem: quia tunc ſemetipſum obſtrinxiſſet. Si votum emiſſum ſit poſt nuptias ex conſenſu approbante alterius coniugis, neuter tunc petere, aut reddere licite valet: quia coniux expreſſe approbans votum alterius, iuri ſuo cedit: idque eo magis verum eſt, ſi ambo mutuo conſenſu approbante votum ediderint. Si vero alter coniux votum edat ex conſenſu alterius dumtaxat permittentis, tunc reddere tenetur: quia qui permittit tantum ut alter ſe privet iure petendi, non renuntiat proprio iuri. Si vero approbaſſet, & poſtea pœnituiſſet, & in periculo incontinentiæ verſaretur, tunc petenda diſpenſatio eſſet.

IV. Quæſt. II. *Quomodo ex impedimento ſupervenienti affinitatis, aut cognationis ſpiritualis impediantur coniuges a debiti petitione?* Reſp. duo impedimenta, præter votum, ſupervenire matrimonio ſolent: unum ex affinitate, contracta ob fornicationem cum conſanguinea coniugis; alterum ex cognatione

ſpi-



ſpirituali, ut ſi alter filium communem baptizaret, aut ex ſacro fonte ſuſciperet, vel in confirmatione teneret. Convenit penes omnes, coniugem peccare mortaliter, qui filium communem baptizaret, aut ex baptiſmo ſuſciperet, aut in confirmatione teneret: quia hoc iure vetitum eſt, ſeclaſo tamen neceſſitatis caſu, in quo nullum eſſet peccatum baptizare. Similiter ſi coniux munus patrini in baptiſmo exerceret, neceſſitate urgente, quia nempe alius non adeſt, nec peccat, nec privatur iure petendi; ut docet *III. Part. qu.* LXVII. *art.* 8. *ad* 1. S. Thomas, cui ſubſcribunt Suarez, Salmanticenſes *num.* 24. & plures alii: quoniam licet officium patrini non ſit neceſſarium ad baptiſmum, confert tamen in eiuſdem perfectam ſignificationem, ut dictum in diſſertatione de baptiſmo eſt.

V. Quæſt. III. *An coniux baptizans filium communem, aut alterius extra neceſſitatem, privetur iure petendi?* Reſpond. Adfirmant Sanchez *Lib. IX. diſput.* XXVI. Bonacina, Guttierez, Ledeſma, & alii: idque colligunt ex cap. *De eo* XXX. quæſt. 1. & cap. *Si vir* de cognat. ſpirit. Contrariam ſententiam defendunt Dicaſtillus, Coninch, Perez, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *n.* 52. ſed prior ſententia videtur probabilior. Qui vero inceſtum committit in primo, aut ſecundo gradu cum conſanguinea alterius coniugis, privatur iure petendi, ſed reddere obſtringitur, ut omnes fatentur. Diſputant vero Auctores de coniuge conſentiente, aut conſilium præbente ad patrandum inceſtum, an tunc uterque privetur iure petendi. Negant aliqui, ſed affirmant Sanchez, Pontius, Bonacina; quia ius petendi conceditur tantum coniugi innocenti, ſecus coniugi reo. Qui vero conſentit in inceſtum, aut conſilium præbet, non eſt innocens, ſed reus. Quamquam argumentum illud non ſit evidens, cum in pœnalibus, & odioſis argumentatio a caſu contrario non ſemper ſit ſolida; tamen in noſtro caſu valde urget, & ut minus dubiam rem efficit. Ergo pro conſcientiæ ſecuritate petenda diſpenſatio eſt. Et idem dicendum de coniuge qui conſentiret, aut conſilium præberet ad baptizandum extra neceſſitatem, de quo dictum ſupra eſt. Coniux qui cum perſona ſibi conſanguinea inceſtum committeret, gravius ſcelus patraret: at affinitatem non contraheret, atque adeo ius petendi retineret. Si vero ambo coniuges inceſtum perpetrarent cum alterius conſanguinea, ambo iure petendi, & reddendi privarentur, adeoque eſſent ſeparandi, niſi diſpenſationem obtinerent, aut una cohabitare abſque incontinentiæ periculo poſſent; ut habetur cap. *Diſcretionem de eo qui cognovit.* Et hoc verum habet, ſive affinitas ſit publica, ſive privata; nec requiritur ſententia iudicis, cum ſit pœna privativa.

VI. Quæſt. IV. *Si uxor coacta a conſanguineo viri inceſtum perpetret, amittit ne ius petendi?* Reſpond. Si coactio ita abſoluta fuerit & violenta, ut nullum commiſerit peccatum in tali concubitu (quod vix umquam accidit) planum eſt illam non amittere ius petendi; quia infligi pœna nequit abſque culpa. Si contra voluntarie, libere & abſolute conſenſerit, licet ex metu gravi, tunc peccat mortaliter, & privatur iure petendi; ut docent Pontius *Libr. X. cap.* XVII. Sanchez *Libr. IX. diſput.* XXXI. Oppoſitam defendunt, nempe non privari iure petendi, licet mortaliter peccet, Bonacina, Rebellus, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 28. quia, inquiunt, non eſt credibile Eccleſiam velle tam gravi pœna moleſtare eos qui metu gravi coacti non ſervant ſuam legem; quemadmodum ab incurrendis cenſuris liberantur illi qui ob gravem metum contra legem eccleſiaſticam peccant. Argumentatio hæc non videtur ſolida. Hac pœna Eccleſia non punit eos qui violant legem ſuam, ſed eos qui violant legem Dei adulterium perpetrando. Coniux illa verum, & flagitioſum inceſtum committit. Inceſtus autem ex lege Eccleſiæ parit affinitatem. Negant citati Auctores inceſtum tunc committi, cum lex Eccleſiæ gravi malo imminente non obliget. Hoc verum habet, quando actus prohibitus non eſt naturæ lege. At fornicatio iure naturali vetita eſt; & huic actui fornicatorio adiecta eſt pœna. Quare cum res ut minimum dubia ſit, petenda eſt diſpenſatio.

VII. Quæſt. V. *Coniux qui cognoſcit alterius coniugis conſanguineam in primo, aut ſecundo gradu ex ignorantia, privatur ne iure petendi?* Reſpond. Si cum ignorantia facti, ſive invincibili, ſive vincibili, coniux cognoſcat alterius coniugis conſanguineam, communiter docent non privari iure petendi: quia hoc decernitur cap. *De eo qui cognovit*, & cap. *Si vir de cognat. ſpirit.* ubi hæc pœna illis tantum imponitur qui *ſcienter* delinquunt. Ignorantia autem facti tunc eſt, quando quis accedit ad mulierem alienam, ignorans eſſe alterius coniugis conſanguineam. Ignorantia iuris vero tunc eſt, cum coniux ſcit talem mulierem, aut virum eſſe conſanguineum alterius coniugis; at ignorat lege poſitiva prohiberi talem concubitum, licet ſciat illum vetari

na-

naturæ lege. Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Salmanticenſes *numer.* 30. docent, coniugem peccantem cum tali ignorantia, ſive vincibili, ſive invincibili, non privari iure petendi ob rationem datam, quod ius eccleſiaſticum hanc pœnam infligat ſcienter peccantibus. Si vero ſciat feminam eſſe conſanguineam, & legem Eccleſiæ prohibentem talem congreſſum ut inceſtuoſum, ignoret vero pœnam annexam; tunc privari iure petendi ſubdunt; quia ſola ignorantia pœnæ non excuſat, ut infra de cenſuris dicetur.

## CAPUT VI.

*Quid agendum ſit coniugibus qui certi ſunt, qui dubitant, aut probabiliter indicant matrimonium eſſe nullum. Quando confeſſarius ſcit matrimonium eſſe nullum, & coniuges ſunt in bona fide, debet ne ſilere, an monere?*

I. QUæſt. I. *Qui certus eſt matrimonium eſſe irritum, poteſt ne debitum reddere coniugi petenti, & ignoranti invaliditatem, ut evitet infamiam, aut gravia damna?* Reſp. Pro opinione adfirmante allegatur Magiſter, Hoſtienſis, Hugo de S. Victore, & alii, inquientes, talem coniugem poſſe reddere, quando imminet periculum infamiæ, homicidii, ſcandali &c. Quid quod Eccleſia compellere per cenſuras poteſt ut reddat? Et tunc Eccleſia compellens diſpenſat, ſi impedimentum fuerit eccleſiaſticum. Nonne, inquiunt, iudex damnare poteſt innocentem qui ſecundum allegata & probata reus convictus eſt? Ergo etiam coniux reddere poterit, quando matrimonium ſecundum allegata & probata apparet validum, licet ipſe cognitione privata certo ſciat eſſe irritum.

II. Communis, & vera ſententia docet, coniugem certo ſcientem impedimentum irritans matrimonium, nullo modo reddere poſſe, etiamſi mortis, infamiæ, ſcandali periculum immineat, etiamſi cenſuris Eccleſiæ compellatur. Hanc ſententiam defendunt S. Thomas in *IV. diſt.* XXVII. *qu.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. Dominicus Soto *ibi art.* 3. §. *Sit prima propoſitio*, Sanchez *Lib. II. diſp.* XXXIX. Bonacina *qu.* IV. *punct.* 4. Diana *Part. IV. tract.* IV. *reſ.* 48. Ledeſma *quæſt.* XLV. *art.* 4. *dub.* 2. Dicaſtillus *diſp.* IX. *dub.* 11. Coninch *diſp.* XXXIV. Salmanticenſes *tr.* IX. *cap.* XV. *punct.* 4. *n.* 35. La-Croix *Lib. VI. Part.* III. *num.* 315. & communiter omnes. Ratio evidens eſt, quia copula hoc in caſu fornicaria eſt. Ergo nullo modo committenda ob quodcumque malum, ſive mortem, ſive infamiam. Quæ enim intrinſecus & natura ſua mala ſunt, numquam licent; neque honeſtari metu infamiæ & mortis valent.

III. Quæ opponuntur, nullius ſunt momenti. Iudex eccleſiaſticus ex invincibili ignorantia compellit ſuis cenſuris ad matrimonium ſervandum: nec propterea diſpenſat. Si enim ſciret matrimonium eſſe nullum, non urgeret ad matrimonium. Si iudex eccleſiaſticus poſſit, & velit diſpenſare, ceſſat omnis quæſtio. Iudex, ut perſona publica, ſententiam fert, non in propria, ſed in aliena cauſſa, ſecundum allegata & probata. Coniux eſt perſona privata, & cauſſam propriam agit.

IV. Quæſt. II. *An Confeſſarius certo ſciens matrimonium eſſe nullum, teneatur monere coniugem pœnitentem, ignorantia invincibili credentem eſſe validum?* Reſp. Ex pluribus capitibus eſſe nullum matrimonium poteſt; ob impedimenta affinitatis, aut conſanguinitatis, aut ligaminis. Confitetur uxor quæ credens maritum ſuum eſſe mortuum, nupta eſt alteri: Confeſſarius ſcit priorem maritum eſſe ſuperſtitem. Altera confitetur quæ nupta eſt conſanguineo in tertio aut quarto gradu, vel affini in primo aut ſecundo gradu, talia impedimenta ignorans: Confeſſario vero ſunt manifeſta. Quid agere Confeſſarius debet? Si mulier laboret ignorantia vincibili, omnes adfirmant admonendam hanc mulierem eſſe (idem dicendum de viro) quia ignorantia vincibilis non excuſat: atque adeo non poterit eam in tali diſcrimine perſiſtentem abſolvere. Si vero ignorantia ſit invincibilis iuris, & facti, matrimonium bona fide contractum ſit, prævideatque Confeſſarius ſuam admonitionem profuturam; tunc monere pœnitentem Confeſſarium debere, fatentur omnes. Hanc tamen admonitionem, inquiunt *Salmanticenſes* num. 40. poſt abſolutionem facere Confeſſarius debet, *ne ſe exponat periculo irritandi ſacramentum, ſi illa forte non apponat propoſitum efficax recedendi ab illo periculo.* Nonne præclarum monitum?

V. Contra, ſi Confeſſarius prævideat ſuam admonitionem non profuturam, vel quia timet ſive virum, ſive mulierem perſeveraturam in matrimonio, & fornicaturam non materialiter, ut ante admonitionem, ſed formaliter, vel quia timet ex tali admonitione ſcandala, diſſidia, infamiam, difficultates &c. tunc Confeſſarius obmuteſcere debet; immo inquiunt Salmanticenſes, *imprudentiſſime ſe gereret* Confeſſarius, ſi admoneret.

VI. Addunt Salmanticenſes ibidem num. 41. „ Quod verum eſſe aſſerit *Sanch.* cum „ *Averſ.* & *Nav. etiam ante contractum matri*„ *monium*; ſi videat ignorantia invincibili velle „ ad illud accedere, credatque quod eius ad„ monitioni non acquieſcet, ſed læſa conſcien„ tia contracturam, quæ bona fide contraheret, „ *vel magna difficultate*, & ſcandalo a tali „ matrimonio receſſuram. Prudenter igitur „ Confeſſarius tunc ſileat, *immo tacere tene*„ *tur*, inquit Sanchez n. 7. *etiamſi ignorantia* „ *ſit iuris divini*, propter eamdem rationem. “

VII. P. Claudius La-Croix cum Gobat ultra pergit *Lib. VI. part.* 3. §. 3. *nu.* 541. inquiens: „ Quamvis prævideatur quod mo„ nitio ſit profutura, ſi tamen coniuncta ſit „ cum graviſſimo incommodo alterius, v. g. „ prolium, Confeſſarius non tenetur monere, „ *ſed poteſt permittere* eos in bona fide. *Gobat a* „ *n.* 57. iterumque *n.* 3. & *Sporer.* “

VIII. Hæ ſunt recentiorum opiniones, quas ego *Tom. II. Apparatus ad Theol. Chr. diſſ.* 1. c. 17. fuſo calamo pro virili profligare ſtudeo. Paucis nunc hæc commenta, ut mihi videntur, peregrina, & cum Evangelio pugnantia, explodam. Quiſque tenetur ſcire ea quæ ad proprium officium & ſtatum pertinent; ut cum S. Thoma Theologi omnes docent. Præceptum divinum addiſcendæ, & inquirendæ veritatis quæ proprium ſtatum ſpectat, omnes obſtringit. Impedimentorum dirimentium matrimonia veritas eſt, cuius notitia ad coniugatos magnopere attinet. Ergo coniugati toties violant hoc divinum mandatum inquirendæ veritatis attinentis ad proprium ſtatum, quoties tali diſpoſitione affecti ſunt, ut vel negligant, vel nolint eam addiſcere. Coniugati, laborantes ignorantia invincibili iuris & facti, in hac prævidentur diſpoſitione qua nolint hanc veritatem addiſcere: ergo violatores & contemptores ſunt divini mandati inquirendæ veritatis.

IX. Quemadmodum tria munia Confeſſarius ſuſtinet, iudicis, ut abſolvat & liget; medici, ut ſanet; doctoris, ut inſtruat doceatque: ita pœnitentes ad hoc tribunal accedant ut rei iudicandi, ut infirmi curandi, ut ignorantes illuminandi. Si nollent a iudice iudicari, a medico curari, inſtrui a doctore, eſſent ne veri pœnitentes? Ergo larvati & ficti pœnitentes ſunt, dum prævidentur rebelles lumini, & inſtructioni magiſtri, & doctoris ex officio docere obſtricti.

X. Validius urgeo adverſarios. Iſti omnes fatentur, illuminandum coniugem pœnitentem laborantem ignorantia vincibili. Atqui ignorantia invincibilis iuxta omnes tum evadit vincibilis, cum homo addiſcere veritatem





poteſt, eamque repellit. Hæc doctrina inconcuſſa eſt, & extra diſputationis aleam conſtituta. Iuxta Probabiliſtas coniuges illi prævidentur rebelles veritati manifeſtandæ. Ergo illorum ignorantia, quæ antea erat invincibilis, fit vincibilis ex hac prava animi diſpoſitione, in qua prævidentur non ſuſcepturi notitiam veritatis. Quid ad hæc Probabiliſtæ? Patet ne ad effugium rima aliqua? Cur Confeſſarius ſilet? Quia prævidet a coniuge pœnitente non excipiendam veritatem, ſi eam manifeſtet. Hæc tota ſilendi ratio. Falleris. Sunt infamia, ſcandala, mors, vel alia graviſſima mala oritura, quæ ſilentium præſcribant. Ineptis. Hæc abſurda non imponunt ſilentium, ſi ignorantia ſit vincibilis, ut omnes ad unum Probabiliſtæ confitentur. Atqui in caſu noſtro ignorantia, quæ alioquin invincibilis erat, fit vincibilis illo ipſo momento quo coniuges prævidentur non amplecturi notitiam veritatis a Confeſſario manifeſtandæ. Ergo incommoda, difficultates, ſcandala, quæ timentur, honeſtare nullo modo valet Confeſſarii ſilentium.

XI. Sed ad examen veniat monitum Salmanticenſium, inquientium, in hypotheſi ignorantiæ vincibilis, manifeſtationem veritatis faciendam eſſe poſt confeſſionem, ne Confeſſarius *ſe exponat periculo irritandi ſacramentum, ſi illa forte non apponat propoſitum efficax recedendi ab illo periculo*. Peregregie. Non requiritur ergo efficax propoſitum ſervandi omnia mandata divina, & eccleſiaſtica? Ipſi ergo Theologi probabiliter ſuſpicantur pœnitentes deſtitutos hoc firmo & ſtabili propoſito ſervandi mandata omnia? Idcirco enim poſt confeſſionem peractam pandendam veritatem docent, ne ſi ante abſolutionem denuntietur, irritandi ſacramenti periculum occurrat. Hæ ſunt evangelicæ regulæ pro ſacramento pœnitentiæ?

XII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *n.* 540. receſſitam obiectionem hoc pacto diſſolvit. „ Non obſtat quod qui ita a„ nimo comparatus eſt, ut non deſiſteret ab „ uſu matrimonii, ſi reſciret matrimonium „ ſuum eſſe nullum, non videatur diſpoſitus „ ad abſolutionem. Nam hoc verum eſt, ſi „ ita comparatus ſit ex actu voluntatis præ„ ſente, vel præterito habitualiter perſeveran„ te; *non autem ſi ita comparatus ſit ratione* „ *actus tantum conditionate futuri: quia non* „ *ideo nunc eſt, ſed tantum eſſet male diſ*„ *poſitus, ſi reſciret: ergo non ideo iam eſt,* „ *ſed tantum eſſet indiſpoſitus.* Id patet in „ aliis exemplis: nam multi non ſunt ita „ animo comparati, ut abſtinerent a peccatis,

„ ſi eſſent lento igne torquendi; & tamen
„ nunc diſpoſiti ſunt ad abſolutionem, quan-
„ do de facto nec habitualem, nec actua-
„ lem habent comparationem animi ad pec-
„ candum, licet pro tali circumſtantia habi-
„ turi eſſent. Imprudentia autem eſſet illis
„ talia proponere, ſic tentare, ac inducere
„ in peccatum.

XIII. Integram reſponſum reſcripſi, ne fabulatores de more calumnientur, me truncatas exhibere Caſuiſtarum opinationes. Expendamus nunc ſubtilem & vaniſſimam ſpeculationem. Imprudentiam, ut ab ultimis verbis incipiam, eſſe pœnitentibus proponere atrociſſima tyrannorum tormenta fateor. Sed cur? Quia hic & nunc non urget præceptum ſubeundi martyrium. Ideo imprudentiſſimus foret Confeſſarius, ſi pœnitentium imbecillitatem in diſcrimen adduceret eo tempore quo nulla adeſt occaſio martyrii ſubeundi. Ceterum ut, adverſarios proprio mucrone conficiam, finge paratum ignem, tyrannumque pro tribunali ſedere, atque mortem denuntiare. Numquid hoc in caſu admonendus pœnitens non eſſet? Numquid non animandus, non erigendus, ut ſe forti animo præpararet ad ſubeundum incendium lentum? Numquid tacendum? Numquid ſilendum? Tunc ergo ſolum imprudens Confeſſarius eſſet, quando nulla occurrente martyrii occaſione; nulla adeſſet imbecillitatem pœnitentis tentandi cauſſa. Quandoquidem dum non urget præceptum heroicum fortitudinis chriſtianæ facinus præſtandi, neque Deus diſpenſat illam peculiarem gratiam ad id neceſſariam. En cur imprudenter Confeſſarius proponeret pœnitenti incendium lenti ignis. Verum in caſu noſtro urget & inſtat præceptum non adulterandi; & divina gratia adeſt, qua impleri præceptum poſſit, & peccatum vitari. Ergo ineptum eſt exemplum productum a P. La-Croix: & tota argutatio ſophiſtica eſt & cavillatoria. Quid? Non eſt indiſpoſitus, *ſi ita comparatus ſit, ratione actus tantum conditionate futuri: quia non ideo nunc eſt, ſed tantum eſſet male diſpoſitus, ſi reſciret. Ergo non ideo tam eſt, ſed tantum eſſet indiſpoſitus.* Argutatio hæc genuinus fetus eſt modi opinandi alieni prorſus ab evangelica ſimplicitate. Utique actus nunc non eſt; ſed adeſt animus paratus ad actum. Nonne hic & nunc Confeſſarius prævidet non profuturam monitionem ob imbecillitatem pœnitentis? Ergo hic & nunc deprehendit pœnitentem imparatum ad ſuſcipiendam notitiam veritatis, & præcepti ad proprium ſtatum attinentis. Ergo Confeſſarius omittens admonitionem ex hoc capite, quod prævideat pœnitentem imparatum ad eam chriſtiana humilitate & obedientia ſuſcipiendam, ſacrilegam abſolutionem impertit, & contra proprium miniſterium prævaricatur.

XIV. Altera opinio, quam Salmanticenſes cum Sanchez, & aliis defendunt, nempe Confeſſarium neque ante matrimonium debere coniuges admonere impedimenti, ſi prævideat nihil ſe profuturum, eſt evidenter falſa, & laxiſſima. Theologi graviores docent, monendos tunc pœnitentes eſſe, & media excogitanda opportuna ad matrimonium differendum. Quod ſi tales occurrant circumſtantiæ in quibus nullo modo differri matrimonium poſſit (quod perraro, & rariſſime accidit) tunc communiter ſuggerunt, aut utendum privilegio bimeſtri, aut eliciendum caſtitatis votum, uſque dum obtineatur diſpenſatio vel ab Epiſcopo, qui in tam urgente neceſſitate impertiri eam valet, vel a Romano Pontifice, ſi tempus permittit. P. Patritius Sporer *cap. 11. ſec. 11. num.* 455. zelo ſuccenſus clamat: *Surge, curre, adiuva ſororem tuam in tanto periculo trepidantem.* Immo non modo ſoror, ſed frater etiam adiuvandus, ſed prudentia evangelica, non humana. Non minus vera, & opportuna eſt altera exclamatio eiuſdem P. Sporer ibidem: *Quinam non ſæpe blandiuntur multa graviora, ſeu iniquiora!* Veriſſimum axioma. Et hoc ſcilicet principio non pauci recentiores blandiuntur longe graviora, & iniquiora, ut vocibus P. Sporerii utar; quemadmodum mox patefaciam.

## §. I.

## PRIMA REGULA GENERALIS

*ſervanda a Confeſſario contra recenſitam doctrinam plurium recentiorum. Laxa P. Gobat ſententia improbatur.*

I. PLurima ſcripſi, ut iam indicavi, *cit. diſſ. 1. cap. IV.* contra narratas opiniones, quæ ibi legi poſſunt, ne actum agam. Curſim pauca addam. Principium, quo recentiores docent omittendam a Confeſſario admonitionem, quia ſcilicet pœnitens prævidetur non paratus, non diſpoſitus, non promptus ad eam acceptandam, eſt evidenter falſum, Evangelio Chriſti vi evidentis ratiocinii adverſum, laxitatis pleniſſimum, unde ſacrilegia, & innumera abſurda proficiſcuntur. Si enim imparatum pœnitentem prudenter iudicant ad recipiendam manifeſtationem veritatis, & ad ſervanda mandata, prudenter illum præſumunt obfirmatum in prava animi diſpoſitione, & Deo voce Confeſſarii illuminanti rebellem. Poſſem petere ab his recentioribus, unde certo ſciant ignorantiam eſſe invincibilem? unde certo ſciant talem ignorantiam non eſſe effectum malitiæ pœnitentis? unde certo ſciant non profuturam veritatis explicationem ſpiritu Dei factam; unde certo ſciant pœnitentem, reconciliationem, & fœdus in ſacramento pœnitentiæ cum Deo ſtringentem, adeo illo ipſo momento eſſe obduratum, ut reſpuere paratus ſit veritatem ſuum ſtatum ſpectantem? unde certo ſciant, Deum, qui ad tribunal pœnitentiæ pœnitentem vocavit, non infuſurum eſſe gratiam qua illum paratum efficiat? Citati Auctores gratiam a Deo quocumque tempore impertiri vel ipſis obcæcatis, & obduratis docent: & nunc vel ipſis pœnitentibus ſacramenta percipientibus deſperant illuminationis gratiam donandam fore? Invehuntur illi, & merito, contra hæreſim Ianſenii, aſſerentis deeſſe iuſtis gratiam qua poſſibilia præcepta ſiant. Quo ergo fundamento paſſim illi impoſſibilia divina præcepta, & deeſſe gratiam ad illam ſervanda vulgare audent?

II. Teſtimonia Innocentii III. & S. Auguſtini *loc. cit.* palam feci inepte contra nos obtrudi, non ſecus ac præceptum correctionis fraternæ non urgere, quando deſit futuri profectus ſpes. Vide ibi obiectiuncularum plurium confutationem. Ibi quoque legenda ſunt abſurda monſtroſa quæ hanc recentiorum opinionem conſequuntur. Aliqua hic indicabo. Non obſtringitur Confeſſarius 1. admonere pœnitentes invincibiliter ignorantes eſſe reſtituendum lucrum ultra ſortem exactum tamquam ex benevolentia debitum. 2. Vir equeſtris provocatus ad duellum bona fide putat acceptandum eſſe, ne honor obnubiletur, & ignaviæ notam incurrat. Non erit illuminandus, quia non datur ſpes profectus. 3. Quot bona fide exiſtimant licitam eſſe calumniatoris & falſi accuſatoris occiſionem, quando nullus modus occurrit evadendi infamiam, & damna inferenda? Silendum. 4. Illi bona fide certo credunt poſſe iudicem iudicare ſecundum opinionem minus probabilem, & pecuniam poſſe accipere, quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles. Tacendum. 5. Illi licitum eſſe credunt bona fide retineri concubinam valde utilem ad oblectamentum. 6. Illi interrogati a poteſtate publica de fide Chriſti, credunt uſum reſtrictionum mentalium non eſſe vetitum. 7. Puellæ certo exiſtimant procurari poſſe ſine peccato abortum fetus non animati ad evitandam infamiam. 8. Plurimi pro certo habent, non eſſe deſerendam occaſionem proximam valde commodam.

III. Hæc & ſexcenta alia ſimilia paradoxa ignorari invincibiliter poſſe non negabant adverſarii, ſi illa invincibiliter ignorarunt Doctores benigni ætatis ultimæ. Ori ergo digitum imponere ſibi debent Confeſſarii, quoties prævident pœnitentes adeo eſſe his flagitiis addictos, ut nihil eis profutura admonitio ſit, ſed bona fide relinquendi erunt. Nec eſt quod opponas, impedimentorum ignorantiam eſſe facti, non iuris. Quoniam cavillatio iſthæc nimis vana eſt: nam in quolibet caſu practico ignorantia iuris mixta ignorantiæ facti eſt. Ceterum, ut lectori compertum ſit, quo laxitatis tendat hæc opinandi ratio, legat quæ hoc de ſilentio Confeſſarii ſcripſi tum *loc. cit.* tum *Tom. IX. de obligatione Confeſſarii* inſtruendi pœnitentes, & tandem, quæ ſequuntur, legat.

IV. P. Georgius Gobat *tract.* VII. num. 315. „ Quid faciet Confeſſarius, ſi videat
„ pœnitentem ex invincibili ignorantia ob-
„ noxiam v. g. mollitiei, cuius gravitatem
„ edoctus ob habitum pravum vix abſtinebit?
„ His verbis propoſita fuit illa quæſtio, ap-
„ plicataque huic peculiari vitio, cum poſſet
„ pluribus. Reſpondi autem ex ſcriptis illo
„ *cit. cap.* XXXVII. *n.* 61. ſi probe conſideratis
„ circumſtantiis illius pœnitentis, omnino
„ iudicetur *nihil plane profuturam monitionem*,
„ ſed cognito a ſe committi grave ſcelus,
„ nihil ratius patraturum illud quam fecit
„ ignarus turpitudinis tantæ, coram Deo DIS-
„ SIMULANDAM ESSE MANIFE-
„ STATIONEM VERITATIS. “

V. Vel ipſorum contra naturam flagitiorum notitia ignorantibus manifeſtanda non eſt, ſed diſſimulanda veritas? Dum tam monſtroſa laxitatis commenta deteſtanda Chriſtianis proponimus, patroni molliores Ethices vociferantur, nos imponere Caſuiſtis. Sed pudere tandem aliquando illos deberet tam impudentis calumniæ. Subdit P. Gobat, ſe cenſere vix eſſe Confeſſarium tam ſagacem qui prudenter iudicare queat de quoquam ſuam admonitionem non profuturam ad imminutionem tot peccatorum contra naturam. Verum continuo ſubiicit.

V. Idem P. Gobat ibidem *num.* 317.
„ Et vero non ſemel didici eſſe qui inculpa-
„ biliter ignorarent mortalem malitiam huius
„ flagitii. Igitur, practice loquendo, non tam
„ quærendum eſt de illo qui plane numquam
„ peccatum illud omittet ob cognitam turpi-

 „ tu-

„ tudinem, quam de illo ſolo *qui vix* omittet, ſeu vix abſtinebit, ut loquuntur illæ litteræ, ideſt qui quandoque, etſi rariſſime, abſtinebit, ſicuti, proh dolor! gemunt Confeſſarii ſe nactos complures huius fœdiſſimi ſimul & fœtidiſſimi furfuris. *De hoc quoque cenſeo intelligendam ſententiam D. Auguſtini. Moraliter enim non tam prodeſt, quam obeſt* ILLA MONITIO, quæ tantum impediret ſex, octo, decem peccata formaliter mortalia, cauſſabit autem ducenta, trecenta itidem mortalia. “

VII. Sententia Auguſtini inquientis: *Si ſcirem tibi non prodeſſe, te non monerem, te non terrerem*: turpiter abutuntur recentiores, qui illam ex Doctoribus noviſſimis bona fide tranſcribunt, quin unus eam in fonte ſuo legerit. Conſule *Tom. II. Appar. diſſ.* 1. *cap.* IV. ubi integram ex Auguſtino, non ex Caſuiſtis reſcripſi. Alloquitur Doctor ſanctus moribundum, eumque ad ſpem erigit animatque. Et Caſuiſtæ hanc tanti Doctoris ſententiam ad tegenda ſilentio horrenda contra naturam ſcelera detorquere non dubitant. Habes lector, quin plura alia monſtroſa portenta, ſicut poſſem, tranſcribam, quo laxitatis prolapſa ſit opinandi libertas. Si admones, inquit P. Gobat, obtinebis ut ab octo, vel decem pollutionibus formalibus pœnitens abſtineat. Interim ducenta, & trecenta, flagitia formalia perpetrabit. Quæ autem comparatio inter decem & trecenta? Ergo ſilendum permittendumque ut materialiter ſe ſe in luto libidinis volutet: quia cum ſua ignorantia inculpata portas cœli ingredietur. Hi ſunt fœtus nimiæ benignitatis, quam in chriſtianam Theologiam intruſam Romana Sedes deplorat, tamquam corruptelarum fontem.

## §. II.

### SECUNDA REGULA GENERALIS

*ſilentii obſervandi a Confeſſario ſuper matrimonii impedimentis.*

I. NUnquam ſilere Confeſſarius abſque ſacrilega proprii miniſterii prævaricatione poteſt, ex eo quod prævideat pœnitentem ſive coniugem, ſive quemcumque alium, non ſuſcepturum admonitionem. Pœnitens coniux, inquiunt citati Probabiliſtæ, bona fide perſeverat in matrimonio nullo, illius adulteria ſunt materialia. Experrectus Confeſſarius deprehendit iſtius coniugis ad libidinem propenſionem, amorem ardentem erga coniugem, & ad continentiam ſervandam imbecillitatem. Si moneatur, ex adultero materiali evadet formalis. Prævidet eum non habere diſpoſitionem ad hoc præceptum ſervandum. Ergo ſilendum, ergo tacendum. Hæc doctrina, ut locis indicatis palam feci, hoſtiliter cum Evangelio pugnat.

II. Quando ergo licite, prudenterque ſilere Confeſſarius poteſt, & debet? Paucis rem habeto. Quoties a voluntate coniugis pœnitentis non pendet remotio impedimentorum: quoties coniux pœnitens recte comparatus prævidetur ad ea omnia præſtanda quæ in illius ſunt poteſtate conſtituta: dignoſcitur ita abhorrere peccatum mortale, ut omnia perferre ſit paratus ne illud admittat (larvatus enim eſt Chriſtianus ille qui infamiam, bonorum iacturam, proſcriptionem, & mortem ipſam ſuſtinere paratus non ſit, ut mortalem Dei offenſam evitet:) verum etiamſi coniux pœnitens in hac optima diſpoſitione conſtitutus ſit, & moneatur, animeturque a Confeſſario, non propterea removere ipſe impedimenta, obſtacula, ſcandala poteſt. Finge mulierem matrimonium bona fide contraxiſſe, irritum ob impedimentum occultum conſanguinitatis, affinitatis &c. Mulier hæc femina fortis eſt, & chriſtiana fortitudine inſtructa, & totius mundi contemptrix. Moraliter certus Confeſſarius eſt, quod monita ea omnia præſtaret quæ ab illa penderent: omnia ſuſtineret incommoda, infamiam, perſecutiones, & mortem ipſam. At cuncti illius conatus ad fœdus coniugale infringendum irriti futuri ſunt & inanes: quandoquidem Eccleſia connubia, ritu publico, & ſolemni celebrata non diſſolvit, niſi certis probationibus adductis. Mulier hæc documentis, quibus matrimonii firmitatem labefactet, deſtituta eſt. Sceleſtus ſponſus, unde ortum impedimentum eſt, fatebitur iureiurando firmatum; at explodetur a iudice eccleſiaſtico ut impudens & infamis. Hæc omnia prævidit, aut prævidere Confeſſarius debet. Quid ergo aget? Monebit? Imprudentiſſimus eſſet, ſi moneret. Quoniam monitio tunc nihil boni, & innumera mala, & ſcandala pareret. Iſte eſt unicus caſus in quo ſilere prudenter Confeſſarii debent, uſque dum diſpenſatio obtenta fuerit. At non idcirco ſileat, quia pœnitentes coniuges minus comparati ſunt ad monitionem ſuſcipiendam, ut Probabiliſtæ falſo docent: ſed quia caſus remedium ob circumſtantiarum congeriem non admittit: quia quamvis coniuges paratiſſimi ſint ad ea omnia præſtanda quæ ab illorum voluntate pendent; nihilominus removeri obſtacula nequeunt, non ex defectu huius aut illius coniugis, ſed ex natura & multitudine circumſtantiarum quibus involutus caſus eſt. Vix tamen unquam ſimiles occurrunt caſus: ac ſi occurrerent, tacendum eſſet. Quoniam prudentiſſime Eccleſia difficilem ſe præbet ad matrimonia contracta labefactanda; & iure exigit probationes certas, antequam eadem dirimat: quia alioquin via latiſſima pateret improbis & perditis viris, & feminis ad matrimonia pro libidine, odio, aliiſque cauſſis reſcindenda. Idcirco facilius tolerat aliquid matrimonium ambiguum, quod probari evidenter irritum nequit, quam tanto aperire ad rata matrimonia reſcindenda cum magna Reipublicæ chriſtianæ perturbatione, & ſcandalo.

III. Vides nunc, & manibus tangis, quam turpiſſime labantur illi qui hoc Confeſſarii ſilentium ex impoſſibilitate, & indiſpoſitione conditionate futura pœnitentium repetunt. Unde poſtea monſtroſa illa paradoxa, quæ indicavimus, inferunt, non eſſe videlicet homicidas, mœchos, neque rei alienæ detentores, neque feneratores, neque concubinarios, neque blaſphemos, neque periuros &c. qui laborantes ignorantia invincibili ex ſceleratis materialibus fierent ſcelesti formales abſque fructus profectus ſpe. Ad ſummum, inquit P. Gobat, evitabuntur decem, & perpetrabuntur trecenta crimina formalia. Lege plura locis citatis.

## §. III.

*Quomodo ſe gerere coniuges debeant dubitantes de valore matrimonii contracti? Probabiliſmi commenta labefactantur ſummorum Pontificum, & SS. Doctorum auctoritate.*

I. QUæritur unic. *An ſi coniugum alter prudenter dubitet, validum ne ſit matrimonium contractum, petere, aut reddere queat?* Reſp. Qui poſt contractum bona fide matrimonium dubitat de eiuſdem valore, continuo inquirere diligenter debet ut veritatem deprehendat. Si negligens in veritatis inveſtigatione fuerit, pro quantitate negligentiæ delinquet. Si poſt adhibitam humanam diligentiam dubitatio perſiſtat, reddere debet coniugi non dubitanti. Qui enim non dubitat, ius habet ad exigendum: quo iure ex dubio alterius privari non poteſt. Si quis dubitat de morte prioris coniugis, poſt nuptias bona fide contractas, durante dubio reddere innocenti debet, inquit cap. *Dominus* de ſecund. nupt. Lucius III. *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris coniugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti; quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum. Quod ſi poſt hoc de prioris coniugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur.*

II. Si quis poſt adhibitam diligentiam adhuc dubius in utramque partem hæreat, quid agendum? Salmanticenſes num. 96. cum Sanchez, Bonacina, Reginaldo, Coninch, reſpondent, & reddere, & petere hunc poſſe: quia, inquiunt, hic laborat ignorantia invincibili, quæ adhibita diligentia vinci non poteſt. Ignorantia invincibilis haec probabiliſtica eſt. Adduut num. 97. Quando uterque dubitat ante adhibitam diligentiam pro manifeſtanda veritate, neuter petere, aut reddere valet. Quæ ſententia vera eſt. At ſi, adhibita diligentia, adhuc dubium perſeveret, tunc & petere, & reddere iure valet, inquiunt illi: quia uterque laborat ignorantia invincibili. Licet PP. illi ex inſtituto Probabiliſmum non propugnent; ſemper tamen, occaſione data, doctrina probabiliſtica utuntur. Opiniones illæ, quæ docent poſſe & peti, & reddi, dubitatione perſiſtente, falſæ ſunt, & reiiciendæ.

III. Innocentius III. eas improbat cap. *Inquiſitioni* de ſentent. excom. & difficultates Eccleſiæ doctrina reſolvit, inquiens: *Credimus diſtinguendum, utrum vir coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugii, propter quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit: an non ſciat certe, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate levi & temeraria, an ex PROBABILI & diſcreta; & quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia levis, & temerariæ credulitatis explo-ſa) licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum coniugale. Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate PROBABILI & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta: debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra conſilium conſcientiæ committat offenſam.*

IV. Qui igitur ex levi coniectura dubitat, iuxta conſilium prudentis viri expellere dubitationem debet, & petere, ac reddere. Qui certus de impedimento eſt, nullo modo reddere, aut petere poteſt, ſed potius humiliter excommunicationis pœnam latam a iudice eccleſiaſtico ſuſtinere. Si tandem probabili-

biliter dubitat, reddere, ſed non petere valet, ut definivit Innocentius III. & docet S. Thomas in *IV. diſt.* XXXVIII. *in expoſ. litteræ* inquiens: *Si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua cauſſa, quæ etiam certitudinem facere poſſit, non debet nec reddere, nec exigere debitum; ſi autem illa cauſſa facit probabilem dubitationem, debet reddere, ſed non exigere. Si autem ſit levis ſuſpicio, poteſt utrumque licite facere: quia debet illam cauſſam potius abiicere quam ſecundum hoc conſcientiam formare.* Hanc eamdem doctrinam tradit Doctor ſeraphicus S. Bonaventura in *IV. diſt.* XXXVIII. *in expoſ. litteræ ſub fin.* his verbis. *Si mulier incipiat poſt contractum matrimonium dubitare de morte prioris viri: aut eſt dubitatio levis; & hæc ſecundum conſilium Prælati poterit a corde removeri, & poterit debitum exigere, & reddere. Si vero probabiliter dubitat, debitum debet reddere, ſed non exigere. Si vero certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere, ſed ſtatim ſecundum virum deſerere.*

V. En quomodo unanimi voce & Pontifices Romani, Lucius ac Innocentius ſeculo XII. & ſancti Thomas ac Bonaventura ſeculo XIII. commentum probabiliſticum explodant & improbent. Docent enim, perſiſtente dubitatione ex rationibus utrimque æqualiter probabilibus orta, reddi, non exigi poſſe; atque adeo quod tutius eſt, amplectendum. Tutius autem eſt non petere. Nam qui petit, periculo fornicationis ſe exponit, quod non petendo declinat. Nec eſt quod opponas, tutius quoque eſſe non reddere: quoniam hoc falſum eſt in hoc caſu. Qui non dubitat, ius certum habet petendi. Sola dubitatio a poſſeſſione iuris certi detrudere poſſeſſorem nequit. Ergo qui dubitat, ſi negaret reddere debitum certum petenti, manifeſtam iniuſtitiam committeret. Fornicatio autem in reddente eſt ſolum dubia. Ergo in hoc caſu tutius eſt reddere quam negare. Quando enim duo mala neceſſaria occurrunt, minus eſt eligendum; ut ſacri canones docent. Nam cap. *Duo mala*, diſt. XIII. hæc habentur. *Duo mala licet ſint omnino cautiſſime præcavenda; tamen, ſi periculi neceſſitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus reſolvere quod minori nexu noſcitur obligare.* Rurſus can. Nervi, ibi ex S. Gregorio Papa. *Eſt quod ad deſtruendas Behemot verſutias ſubtiliter fiat, & dum mens inter minora, & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur.* Iterum cap. *Non ſolum* XXII. quaeſt. IV. *In omni quod agimus, hæc eſt moderatio ſolertius obſervanda, ut ſi in talem forte lapſum neceſſitatis hoſtis inciderimus inſidiis, ex quo ſine aliquo peccati contagio ſurgere non poſſumus, illum potius evadendi aditum petamus in quo minoris periculi nos perpeſſuros eſſe credamus.* Accedit cap. *Ad Audientiam*, de homicidio. *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem.* Demum cap. *Iuvenis* de ſponſalib. *In his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Et tandem cap. *Illud* de Clerico Excom. *In dubiis via tutior eſt eligenda.*

VI. Hæ ſunt Eccleſiæ voces, hæc Romanorum Pontificum oracula. Quando animus inter duas opiniones anceps hæret, illud eligendum in praxi eſt quod tutius apparet, ſeu quod magis a peccato removet. Contra Probabiliſtæ in medium prodeuntes, clypeo illius ineptæ diſtinctiunculæ iudicii directi & reflexi charmati, clamant, inter opiniones æque probabiles non eſſe ſeligendum quod eſt tutius, ſed e contrario quod magis favet propriæ libertati, & poſſeſſioni.

VII. Immo P. Claudius La-Croix *Lib. IV. part.* 3. *n.* 299. hæc ſcribit. „ Qui probabiliter putat matrimonium eſſe validum, licite petit debitum: tum quia eſt poſſeſſio pro illo, tum etiam quia aliquis poteſt hic uti & alibi ſequi ſententiam probabilem ... *Additque* Averſa, *etiamſi opinio pro invaliditate eſſet* PROBABILIOR, *& hoc eſt conformior dictis l.* 1. *a n.* 268. *de licito uſu opinionis probabilis.* “

VIII. Ita decidunt Probabiliſtæ contra ſummos Pontifices, Lucium, Innocentium, Alexandrum, Gregorium, contra Eccleſiæ Doctores Thomam, Bonaventuram, &, quod rem conficit, contra decretum Innocent. XI. præcipientis in ſacramentis tutiorem partem eſſe eligendam, dum agitur de eorum valore. Quid quod ipſe La-Croix *loc. cit. n.* 38. ſcribit? „ Ex damnatione illius propoſitionis ſequitur illicitum eſſe contrahere matrimonium ſequendo opinionem tantum probabilem de illius valore, relicta tutiore .... Quamvis enim *Filguera* explicans hanc propoſitionem damnatam putet non prohiberi praxim illorum quæ non ſunt de iure divino, ſed tantum de iure eccleſiaſtico, uti ſunt multa in materia matrimonii; *ſententia tamen illa reiicitur ab omnibus*: & ratio eſt, quia finis damnationis erat, ne ſacramentum exponeretur periculo nullitatis, cui exponitur, quando aliquid omittitur quod ad valorem requiritur, etiam de iure tantum eccleſiaſtico.“

IX. Hinc conſtat, Probabiliſtas propriis anti-



nomiis ſemetipſos conficere, atque in re graviſſima, qualis eſt ſacramentaria, imperitis fucum facere. P. La-Croix hic fatetur *Filguera* in ea fuiſſe ſententia, propoſitionem 1. damnatam ab Innocentio XI. intelligendam eſſe reſpectu eorum quæ ſunt divini iuris, ut ſunt materia & forma, ſecus reſpectu eorum quæ ſunt iuris eccleſiaſtici. Verum, inquit P. La-Croix, *ſententia illa reiicitur ab omnibus*. Contra clamat P. Dominicus Viva de *ſacram. pænit. qu.* VIII. *art.* 2. *n.* 2. proſcriptam theſim intelligendam eſſe ſolum reſpectu materiæ, & formæ, quæ ſunt iuris divini, ſecus reſpectu eorum quæ ſunt iuris eccleſiaſtici, ut eſt iuriſdictio Confeſſariorum. Inquit enim: *Nihilominus conſuſ licitum eſſe abſolvere cum iuriſdictione probabili, ut fuſe dixi in expoſitione illius primæ theſis ab Innoc. XI. confixæ. Pro hac ſententia* Gobat tr. VII. n. 116. *numerat centum triginta Doctores.*

X. Quinam ſunt illi *centum triginta Doctores?* Quid, ſi maioris partis nomina referrem? Alii ſunt nullius nominis, alii ſunt damnati ab Eccleſia, ob theſes ſcandali plenas evulgatas. Profecto inter citatos a P. Gobat eſt Doctor Ioannes Sanchez, proſcriptus ob laxiſſimas opiniones. Quid quod P. Gobat ſcripſit plures annos ante decretum Innocentii XI.? Quid quod P. Gobat non numerat centum triginta Doctores? En verba Gobat *loc. cit.* a P. Viva edit. Monachii pag. 589. *Auctoritate ſexaginta quinque Doctorum firmata in clyp. Clem. iurid. &c. quibus alios addere poſſum.* Tò *alios addere poſſum* dilatavit P. Viva ad *centum & triginta*. Tandem P. La-Croix ſcribit, *omnes* Doctores improbare uſum opinionis probabilis, dum agitur de valore ſacramenti etiam reſpectu eorum quæ ſunt iuris eccleſiaſtici; ut ſunt iuriſdictio, & impedimenta matrimonii. Contra P. Viva cum Doctore Gobat ait; centum triginta docere oppoſitam. Hæc obiter nunc indicare libuit. Vide plura *Tom. IX.* de iuriſdict. probabili Confeſſar.

XI. P. Dominicus Viva de *ſacram. matr. qu.* VII. *art.* 3. *n.* 6. *pag. mihi* 117. „ Demum ſi alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & ſimul habeat opinionem probabilem de eius valore, licite poteſt petere, & reddere; cum poſſit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam maverit, *etiam ſi non ſit probabilior quam altera.*“ Hæc doctrina eſt contra ſacros canones, contra SS. Doctores Eccleſiæ, &, niſi me omnia fallunt, evidenter contenta in *theſi* 1. damnata ab Innocentio XI. Nam hic agitur de valore ſacramenti matrimonii. Unum poſſet reponi, nempe theſim proſcriptam intelligendam eſſe de materia & forma, quæ ſunt divini iuris, non de impedimentis iuris eccleſiaſtici. At P. La-Croix teſtatur, *omnes* improbare hanc opinionem, cladentem cenſuram proſcriptæ theſis. Ergo, teſte P. La-Croixio, iuxta *omnes* damnata eſt opinio Viva.

XII. P. Claudius La-Croix *Lib.* IV. *part.* III. *n.* 320. inquit: „ Si matrimonio bona fide contracto ſuperveniat dubium de valore, & poſt inquiſitionem non reiici, nec dubium deponi poſſit; *prima ſententia*, quam tenet S. Thomas, Bonaventura, S. Antoninus, P. Soto, Ledeſ. Val. Vaſq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. Turr. Arr. Averſ. & alii 17. cum Schild. dicit, poſſe quidem reddere debitum, ſed non petere, quia id videtur eſſe decilium cap. *Inquiſ.* de ſent. excom.... *ſecunda ſententia*, quam tenent D. Sot. Veracrux, Vict. Lopez, Suarez, Con. Lavm. Bon. Reg. Leſſ. Lorc. Breſſ. Lug. Bol. Bardi, Sanch. Dian. Dicaſt. Teril. Carden. dicit, poſſe etiam petere debitum ... *Atque hæc ſecunda ſententia videtur, ſaltem ſpectata ratione, eſſe probabilior.*“

XIII. Sententia, quæ eſt evidenter contra Romanos Pontifices, Lucium III. Innocentium III. Innocentium XI. aliaſque ſacras cationes, contra prima Theologiæ lumina, SS. Thomam, Bonaventuram, Antoninum Archiepiſcopum, & ceteros graviſſimos Theologos, a P. La-Croix aſſeritur *probabilior*, ſaltem ſpectata ratione. Quia Teril. Veracrux, Breſſerus, Coninchius, Diana, Dicaſtillus profundiores Metaphyſici ſunt, & in re ſacramentaria doctiores atque eruditiores quam Romani Pontifices, quam Eccleſiæ Doctores. Hæc curſim indicare libuit, ut intelligant lectores, damnatam probabiliſticam theſim ab Innocentio XI. in controverſiis in quibus agitur de valore ſacramentorum, a non paucis Probabiliſtis promoveri & propugnari, niſi fallor ipſe. Sed lectores ipſi ſint iudices.

## CAPUT VII.

*De matrimoniis nullis redintegrandis.*

I. MAtrimonium irritum eſſe poteſt vel ob defectum conſenſus, qui potuit eſſe fictus, aut metu & errore extortus; vel propter impedimentum, ſive publicum, ſive occultum; vel quia defuit præſentia Parochi & teſtium. Matrimonium quocumque ex his capitibus nullum ut redintegretur, & conva-



leſcat,

leſcat, ea omnia ſuppleri debent quæ iuxta Eccleſiæ leges ſervanda primum fuiſſent. Si defuit præſentia Parochi & teſtium, coram Parocho & teſtibus redintegrandum eſt. Si fictus ex utraque parte conſenſus fuit, vel vi, aut metu extortus, renovandus per verba aut ſigna exteriora eſt ex utraque parte. Si irritum matrimonium fuit ob aliquod impedimentum dirimens, per diſpenſationem, aut alia auferri via debet.

II. Quæſt. I. *An coniugi aſſirmanti ſibi defuiſſe conſenſum adhibenda fides ſit?* Reſp. Non modo credendum non eſt, ſed contra, abſolute loquendo, præſumendum eſt conſenſum adfuiſſe; ut habetur cap. *Per tuas de probationibus*, ubi ſtatuitur, mulieris, quæ una cum marito ſuo filium ex ſe procreatum publice recognoverat, non eſſe ſtandum iuramento in contrarium præſtito. Et profecto quæ adhiberi fides poteſt illi qui coram Parocho, & teſtibus ſacrilego mendacio ſacramentum matrimonii profanare auſus eſt? An non veroſimilius eſt, nunc potius quam illo ipſo tempore quo ſacramentum celebravit, illum mentiri? Quid, ſi perſona optimis moribus inſtructa, a periurio prorſus aliena, cum iuramento in articulo mortis aſſereret ſibi defuiſſe conſenſum? Quid, ſi Religionem ingredi vellet? His in circumſtantiis adhibenda cura eſſet ad veritatem explorandam: ſi dubium vero poſt diligentiam adhibitam oriretur, redintegrari, &, ut dicitur, revalidari matrimonium modo opportuno iuxta prudentum conſilium deberet.

III. Communiter Auctores docent, non eſſe fidem adhibendam aut famæ nullo certo auctore ortæ, aut viris fide non dignis, aliquod impedimentum teſtantibus; ſed, his teſtibus ſpretis, matrimonium contrahere, & poſt contractum petere, & reddere cuilibet poteſt. Quoniam nec teſtes fide indigni, nec fama ab incerto auctore manans præbent prudentem dubitandi rationem. Qui poſt contractum matrimonium audit ab homine fide digno, etiam ſub iuramento aliquod impedimentum teſtante, non tenetur illico credere, & debitum negare, quia unius viri, quantumvis fide digni, teſtimonium non inducit neceſſitatem credendi, præſertim in proprium damnum; ut habetur cap. *Cum a nobis de teſtibus & atteſtationibus*. Hoc tamen teſtimonium ſufficit ut quis prudenter dubitare debeat, & teneatur ad inquirendam veritatem: & in tali ſtatu reddere coniugi non dubitanti, nec alio ex capite iure petendi privato aſtringitur; petere tamen non poteſt. Si poſt diligentiam in exploranda veritate adhibitam impedimentum non deprehendat, deponere dubitationem debet, & petere, ac reddere. Ante vero quam matrimonium contrahatur, unus teſtis fide dignus ſufficit ut a celebrando matrimonio quis abſtineat.

IV. Si impedimentum dirimens publicum ſit, vel ad forum contentioſum deductum, & de oppoſito non ſit iudicatum, immo duobus teſtibus fide dignis probari poſſit irritum: tale matrimonium, ablato per legitimam auctoritatem impedimento, iterari coram Parocho, & teſtibus debet: quoniam licet Eccleſiæ competens celebratio ſit, ignotus tamen valor eſt.

V. Quæſt. II. *Qui ficte contraxit, tenetur ne ex iuſtitia conſenſum verum apponere?* Reſp. Negant Sanchez, Hurtadus, Villalobos, & alii ex vi ſolius contractus, præciſo alio damno. Probabilior ſententia affirmat, obſtringi coniugem reum vi iuſtitiæ verum conſenſum præbere: quia cuique ſuum ius ſervandum eſt. Sed coniugi ſincero animo ſuum conſenſum præbenti, & vere contrahenti, iure debetur alterius contrahentis conſenſus, non modo in ipſa contractus celebratione, verum etiam poſt celebratum contractum, & toto vitæ tempore: quia pars innocens pro toto vitæ tempore contraxit hac bona fide, ut altera pars ſuum apponeret ſimilem perpetuum conſenſum. Ergo ſi tempore celebrationis debetur conſenſus ille, eodem iure debetur tempore ſequenti. Præterea fatentur adverſarii, obſtrictum ex iuſtitia eſſe deceptorem apponere verum conſenſum, ſi pars innocens damnum paſſa ſit. At hoc damnum, modo maius, modo minus, inſeparabile eſt ab eiuſmodi contractu ficto; pars enim innocens magnum ſemper præiudicium accipit aut amiſſæ virginitatis, aut famæ denigratæ, aut quod maneat innupta. Ergo pars quæ fraudem fecit, eam per legitimum conſenſum removere aſtringitur.

VI. Quæſt. III. *Quando matrimonium irritum fuit ob aliquod impedimentum dirimens, requiritur ne ut uterque coniux certior fiat?* Reſp. Quando impedimentum notum utrique parti eſt, nulla occurrit difficultas, ut dictum fuit ſupra. Anguſtiæ undique premunt, quando una ſola pars conſcia eſt, & rea impedimenti, quod manifeſtari nequit coniugi innocenti abſque gravi incommodo, & periculo infamiæ; ut ſi uxor cum mariti fratre copulam habuiſſet, aut vir cum coniugis ſorore. Convenit penes omnes, primum omnium obtinendam eſſe diſpenſationem a parte con-

ſcia,



ſcia; & tunc temporis eam petere debitum non poſſe, ut dictum eſt. Porro ipſæ litteræ diſpenſationis negotium grave faciunt, & difficultatem graviſſimam efficiunt. Siquidem in eiſdem hæc habetur clauſula. *Ut, dicta coniuge de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut alterius delictum nuſquam detegatur, diſpenſes.* Sive brevius aliis verbis: *Altero impedimentum ignorante, prius de nullitate conſenſus prioris certiorato.* Ratio quoque urget. Nam redintegrari contractus nullus haud poteſt, niſi denuo efficiatur validus. Quomodo autem effici denuo validus poteſt, niſi utraque pars contrahens rurſus conſentiat? Uterque vero conſentire denuo nequit, niſi utrique conſtet, matrimonium prius contractum fuiſſe nullum.

VII. Ut hunc nodum Theologi ſcinderent, varia excogitarunt. Plures docent, admonendum coniugem innocentem de matrimonio inito generice & confuſe, quin detegatur impedimenti ſpecies. Dicat, inquiunt, ſe anxium eſſe propter conſenſum in ipſo matrimonio præſtitum, & Confeſſarium inculcaſſe novum requiri conſenſum. Sine hac manifeſtatione pars ignara prioris matrimonii irriti coniugii ex errore, immo novum conſenſum proprie non ponit; ſed tantum priorem invalidum renovat, nullo modo intendens novum inire matrimonium, ſed priorem invalidum confirmare. Cui argumentationi reponunt alii, hunc errorem eſſe non circa perſonam, ſed circa qualitatem; atque adeo conſenſum hunc ſufficientem eſſe.

VIII. Facilis res foret, ſi hæc manifeſtatio generica, & confuſa nullam in coniuge ignaro ſuſpicionem pareret. Quid enim, ſi hinc coniux innocens ſcandalum ſubeat, & in ſuſpicionem adducatur, alterum coniugem reipſa flagitium perpetraſſe? Tunc alii Theologi docent, nullo modo indicandum impedimentum eſſe, quando talia timentur, ſed ſufficere ut, obtenta diſpenſatione, pars impedimenti conſcia blanditiis delinire, illicere, & pertrahere coniugem inſcium in conſenſum ſtudeat. Quando nempe videt opportunam occaſionem, ſic alloqui coniugem innocentem poteſt. *Tali amore te proſequor, ut ſi nullum inter nos eſſet matrimonii vinculum, ego ſane tibi nubere vellem. Iterum nunc te accipio in meum. Hocne tu ex parte tua facis?* Si reponat, *Facio*, aut ſimili verbo novum conſenſum prodat, confectum negotium eſt. Advertunt tamen, non ſufficere, ſi coniux conſcius dicat: *Vellem, facerem*: quia hic non eſt conſenſus abſolutus, & de præſenti.

IX. Sed quid dicendum, ſi ſpes non adſit impetrandi hunc conſenſum; immo ratio occurrat timendi coniugem innocentem hinc in ſuſpicionem adductum iri, ut concipiat delicti perpetrati a coniuge reo notitiam, præbetque reſponſum illud quod refert P. Sporer num. 456. quod eiuſmodi eſt: *Iam te habere debeo. Quod ſi te non haberem, vellem te amore haberem.*

X. Hoc in caſu tertia ſententia docet, ſat eſſe ut ſolus coniux impedimenti conſcius renovet conſenſum, aliquo ſigno externo verbis, vel factis manifeſtatum, puta copula aſſectu maritali habita, quin coniux ignarus ullo modo moneatur: nam ille reddendo copulam ab altero petitam reipſa facto conſentit. P. Sporer relatis his ſententiis de hac tertia num. 460. hæc ſcribit. „ Ego quamvis
„ hanc ſententiam ſpeculative, & *reipſa amare*
„ *ne falſam* credam, tamen ob auctoritatem
„ AA. tamquam *practice* probabilis poterit
„ Confeſſario ſervire pro ultimo remedio,
„ quando nullum apparet remedium melius
„ modo iuxta primam, vel ſecundam ſenten-
„ tiam renovandi conſenſum mutuum matri-
„ monialem. Ego ad has anguſtias numquam
„ redactus ſum; ſed in caſibus *plus æquo fre-*
„ *quentibus* aut inveni ſecuriorem modum con-
„ trahendi, aut ignaros ſui impedimenti, cum
„ adverti non eſſe ſatis bene concordes, diſ-
„ ſimulans in bona fide reliqui. „

XI. S. Auguſtinus plurimas paſſus anguſtias eſt, & nodos inſolubiles de coniugiis adulterinis oſtendit. Verum Probabiliſtæ nonnulli faciliſſimo negotio omnia vel difficiliora reſolvunt, diſſolvuntque. Si veras ſententias, ſeu veritatem ſequi commode valent, eam amplectuntur, & ſequendam proponunt. Si veritas incommodat, tunc, inquit P. Sporer, ſententia omnino falſa ſit regula quam Confeſſarius adhibere poteſt. Ad clauſulam in litteris diſpenſationis contentam, *Certiorata parte*, reſpondet intelligendam eſſe, quando id commode præſtari valet.

XII. Quando hoc principii inconcuſſi præmittitur, omnia componenda eſſe abſque ullo gravi incommodo coniugis rei, dubio procul aliqua ex recenſitis opinionibus adhibenda eſt. At Romanam Sedem non latet, Theologos has docere opiniones, & nihilo ſecius præfatam clauſulam inſerit ſuis diſpenſationibus. Explicatio adducta inepta videtur. Nam nemo in controverſiam vocat, monendam eſſe partem, ſi ſine incommodo hoc fieri poſſit: atque adeo ſuperflua videtur clauſulæ adiectio, ſi tum ſolum ſervanda ſit, cum commode poſſit.

Quid

Quid ergo conſilii præſtas? Ut pro varietate circumſtantiarum Epiſcopi conſulantur. Ipſi enim Paſtores ſunt. Si Superiores ipſique Romani Pontifices diſpenſationem impertiuntur hac adjecta clauſula, ut pars innocens certior fiat, qua auctoritate Caſuiſtæ tribunal erigunt ſupra ipſas pontificias diſpenſationes, eas ultra clauſulas reſtringentes extendendo? Ego ſane, ſi diſpenſatio pontificia præfata clauſula eſſet coarctata, numquam oppoſitum conſulerem, aut docerem. At clauſula executioni demandari nequit abſque infamia conjugis rei. Hic autem ſe infamare recuſat, neque ad hoc induci poteſt, ut impedimentum manifeſtet. Vivent ergo ambo in perpetuo concubinatu? Permittes ergo illorum damnationem? His terriculamentis moti Doctores moderni, ut omnia facili negotio componant, pro ingenio leges detorquent, & uſum opinionum, *quas omnino falſas judicant*, inquit P. Sporer, adhibent. Peto ab illis. Quis Deo de ovibus rationem reddere debet? Caſuiſtæ, an Paſtores, Epiſcopi nempe, & Pontifices? Quibus parendum? Quorum conſilia ſuſcipienda? Nonne Paſtores conſtituti a Deo ſunt pro gregis regimine? Nonne ipſi & peculiari a Deo lumine perfunduntur, & rationem reddituri eidem ſunt miniſterii ſui? Si ergo ipſi diſpenſationes coarctant, cur Caſuiſtæ illas amplificant? Quia diſpenſationes cum tali clauſula nequeunt ad praxim deduci? Ergo tunc reſcribe ad Paſtores, ad Epiſcopos, vel ad Pontifices ſummos: exponito clauſulam ſervari non poſſe: abſurda, & ſcandala quæ timentur, ſigillatim enarra. Aut illi clauſulam tollent, aut ſecus. Si primum, cauſſa finita eſt. Si ſecundum, ipſi Deo, non tu, non ego, rationem reddituri ſunt. Si Romana Sedes auferre clauſulam nolit, illam ne tollent Caſuiſtæ? Minime gentium. In his ergo caſibus, non *plus æquo frequentibus*, ut P. Sporer ait, ſed perraris, Epiſcopum, vel Romanam Sedem, miſſis opinionculis caſuiſticis, conſule. Hac via & tuæ, & illorum ſaluti ſecure providebis.

XIII. Quæſt. IV. *Matrimonium ob impedimentum aliquod occultum dirimens, vel ob defectum conſenſus &c. irritum, redintegrari ne coram Parocho, & teſtibus debet?* Reſp. Si matrimonium fuerit irritum ob ſolemnitatis a Concilio Tridentino præſcriptæ omiſſionem, convenit penes omnes redintegrandum eſſe coram Parocho, & teſtibus. Diſputatur de matrimonio ſolemni ritu coram Eccleſia celebrato, ſed irrito propter aliquod impedimentum occultum dirimens, vel propter defectum conſenſus ſinceri & liberi. Si impedimentum publicum ſit, deductum, aut deducendum ad forum contentioſum, omnes ſimiliter affirmant redintegrandum eſſe coram Parocho, & teſtibus. De impedimento occulto, quod probari per teſtes nequit, Theologi etiam graviſſimi diſputant, num, ſublato per diſpenſationem tali impedimento, innovandus conſenſus ſit coram Parocho, & teſtibus.

XIV. Affirmantem ſententiam defendunt Theologi doctiſſimi Baſilius Pontius *Lib. 8. cap.* vi. Paulus Comitolus *Lib. 1. quæſt.* xxx. ubi hæc ſcribit. „Et quoniam non deſunt qui de utraque difficultate mecum diſſentirent, auctoritate, captioſiſque argumentis recentis cujuſdam Theologi victus: idcirco de omni controverſia diligentes ipſe literas dedi ad P. Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem, ut a quopiam tribunali, cujus judicio ſtandum eſſet, reſponſum impetraret. Conſuluit is P. doctiſſimus, & religioſiſſimus Clementem VIII. Pontificem maximum, a quo hoc tulit reſponſum, atque ad me Venetias miſit. Pontifex reſpondit eſſe neceſſarium novum conſenſum utriuſque coram teſtibus, & Parocho, admonito prius marito de matrimonii nullitate; ſed ad evitandum ſcandalum diſpenſat, ut ſecreto inter ſe contrahant, renovato conſenſu cum legitimatione prolis: in pœnitentiam mulier per biennium jejunet ſemel in menſe, & communicet decimo quinto die, & tertiam partem Roſarii recitet quotidie, niſi ex oblivione, vel alio legitimo impedimento. Quare poſt Apoſtolicæ Sedis dijudicationem nemini eſt amplius integrum de hac re ſecus opinari.

XVI. Hac tamen de re ſecus opinantur Sanchez, Bonacina, Caſtropalaus, Ledeſma, Coninch, Henriquez, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 128. quia matrimonium ſemel celebratum coram Parocho, & teſtibus, tameſi nullum, ab Eccleſia judicatum validum eſt; cum hæc non judicet de occultis. Idcirco matrimonium illud, ſemel judicatum validum, clandeſtinum non eſt. Ad reſponſum Clementis VIII. dicunt, non conſtare eſſe authenticum. Addunt, S. Pium V. declaraſſe oppoſitum. Tandem concludunt, Clem. VIII. ſecutum eſſe ſecuriorem partem. Probabiliſtis autem fas eſt ſequi opinionem probabilem.

XVI. P. Patritius Sporer *num.* 63. refert, Cardinalem de Lugo affirmantem, *ſemper* Romanam Rotam decidere, innovandum eſſe conſenſum coram Parocho & teſtibus. Quia tunc applicanda eſt forma a Tridentino præſcripta, quando contractus validus celebratur. Solemnitas obſervata, quando contractus irritus fuit, nihil profuit. Ergo, ut contractus valide celebretur, quemadmodum renovatur conſenſus, ita iterari ſolemnitas debet. Reponit idem P. Sporer *num.* 465. „Vides, & miraris utramque ſententiam ad ſe advocare Pontificem, Cardinales, & Rotam. Sed *certe* pro noſtra parte convincunt ejuſmodi teſtimonia. Tum 1. quia de iis non conſtat nobis authentice. Tum 2. quia Pontifex potuit ita reſpondere, ut *privatus Doctor tutiora ſequens*, non autem docens *ex cathedra*. Tum 3. quia cum *utraque ſententia ſit probabilis*, pro re nata modo unam, modo aliam ſententiam Patres illi ſequuntur. Tum 4. maxime quia modo ſupponunt, vel timent publicationem, vel periculum publicationis talis impedimenti, modo non timetur. Quare utraque ſententia eſt certe probabilis: prior quidem *tutior*, hæc vero noſtra *longe probabilior*.



XVII. Singulari patientia opus eſt in ejuſmodi reſcribendis, & refellendis. Sententia quam ſequitur Clemens VIII. quam ſequuntur Cardinales, & Romana Rota, eſt *tutior*. Oppoſita ſententia, quam docent Caſuiſtæ, eſt *longe probabilior*. Cur longe probabilior? Quia plures Probabiliſtæ eam amplectuntur, utpote commodiorem, benigniorem, & ſuaviorem. Clem. VIII. & Cardinales ſunt *Tutioriſtæ*.

XVIII. Repeto quod in ſuperiore quæſtione dixi. Et principio de reſponſi dati a Clem. VIII. ſinceritate nullus mihi ambigendi locus. Quia Paulus Comitolus, qui diſtincte illud ſibi ipſi datum narrat, Theologus eſt omni exceptione major. Quod ſi Theologus iſte, quia Antiprobabiliſta, non eſt recentioribus Caſuiſtis tantæ auctoritatis, Cardinalis de Lugo ob hanc rationem ſuſpectus eſſe nequit. Ceterum, ut dixi, controverſia hæc nullum mihi faceſſit negotium. Agitur de jure eccleſiaſtico, a quo non Probabiliſtæ, ſed Epiſcopi, extrema neceſſitate urgente, & Romani Pontifices abſolute diſpenſare jure valent. Si diſpenſatio eximit ab innovando conſenſu coram Parocho, & teſtibus, diſputatio omnis evaneſcit. Si Superiores iſti, a Deo conſtituti in Rectores animarum, non diſpenſant, omnium Probabiliſtarum auctoritatem nec teruncii facio: quia iſti deſtituti omnino ſunt auctoritate diſpenſandi. Huc omnia recidunt. De ſcandalis, de abſurdis, infamia, ceteriſque malis, quæ conſequi ajunt publicam redintegrationem matrimonii, non ego, ſed animarum Paſtores, qui diſpenſare, ſi volunt, poſſunt, rationem Deo reddituri ſunt. Repetere cogor, me ſummopere admirari Probabiliſtas illos qui audent contra ſupremos Paſtores tribunal extollere, & illorum diſpenſationes dilatare ultra confinia ab illis conceptis verbis præſcripta. Hæc facillime ſcribuntur in cella, inquiunt, ſed praxis *Confeſſionariis* ſpectanda. Anguſtias ſorores noſtræ patiuntur: pereunt fratres noſtri, in continuo concubinatu verſantes. An caritas Chriſti non urget ut fratribus naufragantibus tabulam porrigamus? Si habes tabulam porrige. Sed tabula hæc in manibus Paſtorum eſt. Ab illis, diſtincte omnia mala, incommoda, & pericula repræſentando, enixis precibus petenda & imploranda eſt. Si illam impertiuntur, ſumma caritate indigentibus applica; ſi contra illam denegant, ipſi viderint. Si vero tu contra Paſtorum voluntatem eamdem impertis, non præſidium & remedium, quod ſanet, porrigis; ſed chimæricum remedium ſubminiſtras, quod nihil prodeſt accipientibus, & te mortaliter inficere poteſt ob uſurpatam auctoritatem. Conſilium ergo meum eſt, ut Confeſſarii in hoc negotio, in quo de ſacramenti valore agitur, non Caſuiſtas, ſed Epiſcopos, & Sanctam Romanam Sedem clare & diſtincte conſulant.

## CAPUT VIII.

*De aliis peccatis quæ perpetrare conjuges valent in exercitio actus conjugalis contra finem, ſitum, locum, & bonum prolis.*

I. PLura dixi ſupra *cap.* ii. de peccatis ſponſorum, & *cap.* iii. de peccatis conjugum in contrahendo matrimonio, & *cap.* iv. & v. de peccatis contra honeſtum matrimonii uſum. In præſentia plura explicanda ſunt vitia quæ committere conjuges valent contra finem matrimonii, aliaſque circumſtantias.

II. Quæſt. I. *Quomodo peccare conjuges contra matrimonii finem valeant in actu conjugali?* Reſp. Peccant 1. ſi ob ſolam voluptatem commiſceantur. Olim plures recentiores Benigniſtæ docebant oppoſitum, quorum ſequentem theſim damnavit Innocentius XI. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac veniali defectu.* Si tamen voluptas hæc ordinetur ad finem primarium matrimonii, ad generationem nempe prolis,

omni

omni prorſus culpa caret: quia tunc voluptas eſt medium ordinatum ad finem. Propoſitio enim damnata eſt ob illam vocem *ſolam*. Bruta enim, non homines, operantur ob ſolam voluptatem.

III. Quæſt. II. *Quinam eſt finis ob quem actus coniugalis eſt licitus, & meritorius?* Reſp. S. Thom. in *IV. diſt.* XXXI. *qu.* II. *art.* 2. reſpondet. *Duobus ſolis modis abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſſa prolis procreandæ, & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.* Benigni recentiores permulti liberaliores in hac materia, ſicut in aliis, ſunt. P. Viva *qu.* VII. *art.* I. n. I. docet actum coniugalem licitum & bonum eſſe, exercitum ad *ſanitatem corporalem aut recuperandam, aut conſervandam*. Et hoc, inquit, communius *docent Doctores*. Doctores Eccleſiæ oppoſitum aperte docent. Unum allegare ſufficiat S. Thomam, qui in *Supp. qu.* XLIX. *art.* 5. *ad* 4. hæc habet. *Quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum; tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum, ſicut qui ex ſacramento baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret. & ſimiliter etiam eſt in propoſito in actu matrimonii.* Hæc Angelici ratio ſuapte natura luculenta eſt. Matrimonium non eſt ad ſanitatem corporis ſive reparandam, ſive conſervandam inſtitutum. Ergo abutitur matrimonio qui illud exercet tamquam medium quo ſanitatem corporalem quærat. Evidenter ergo falſa eſt opinio quam defendit P. Viva, & quam, ut inquit ille, *communius docent Doctores*.

IV. Vitiant quoque actum coniugalem, ſi impudentius, & intemperantius agant, inquit *Lib. de bono coniugali c.* XVI. S. Auguſtinus. *Quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt in coniugibus venialis ille concubitus.* Quemadmodum ergo in menſa Chriſtiani omnes, ita coniugati in proprio toro modeſtiæ, temperantiæ, & ſobrietatis leges ſervare obſtringentur. Porro licet in menſa licitus ſit ciborum uſus, qui tamen æquo intemperantius eos ſumit, peccat: ſimiliter delinquunt venialiter qui coniugio intemperanter fruuntur.

V. Quæſt. III. *An liberi ſint a peccato qui matrimonio utuntur in remedium contra propriam incontinentiam, & contra alia graviora flagitia?* Reſp. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *n.* 292. confitetur, SS. Auguſtinum, Anſelmum, Bonaventuram, Thom. & ſpeciatim S. Gregorium Magnum, relatum cap. *Vir cum* v. diſt. XXXI. docere eſſe peccatum veniale actum coniugalem exercitum ad vitandam propriam incontinentiam; at ſubdit: *Alii plurimi Theologi, & Iuriſtæ cum Dian. Caſ. Medin. Nav. Azorio. Caſpenſ. Lay. Con. Rebell. Hurt. Henriq. Pont. Magiſtr. Averſ. probabiliſſime dicunt nullum fore peccatum.* En quo loco habeantur apud Probabiliſtas plures prima Eccleſiæ catholicæ lumina, & ſacri canones. SS. Gregorius Magnus Romanus Pontifex, Auguſtinus, Thomas, Bonaventura, Anſelmus, immo communiter Eccleſiæ Patres docent vitioſum eſſe actum coniugalem ad vitandam propriam incontinentiam, aliave flagitia. Verum *Con. Lay. Hurt. Henriq. Magiſtr.* & alii multi ſimiles probabiliſſime oppoſitum docent. Illi *probabiliter*, iſti *probabiliſſime*.

VI. At nos, miſſo hoc opinandi modo, SS. Patrum doctrinam in medium adducimus. S. Auguſtinus verba S. Pauli I. Cor. VII. *Iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram; hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium:* exponens Enchiridii *cap.* LXXVIII. hæc docet. *Putari poſſet non eſſe peccatum uxori coniungi, non filiorum procreandorum cauſſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, ſive adulterii, ſive cuiuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quod poteſt, tentante Satana, libido pertergere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet:* Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. *Quis autem iam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica auctoritas fateatur?* Quis neget? inquit Auguſtinus. Plurimi Theologi, & Iuriſtæ, & quidem *probabiliſſime*, reponit P. *La-Croix*.

VII. S. Thomas in *Suppl. quæſt.* XLIX. *art.* 5. *ad* 2. doctrinam Auguſtini, Gregorii, & aliorum Patrum confirmat his verbis. *Si aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem in coniuge, non eſt aliquod peccatum: quia hoc eſt quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet: ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas; & ſecundum hoc eſt peccatum veniale: nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.* Hanc eamdem doctrinam repetit S. Thomas in I. *ad Cor. cap.* VII. *lect.* I. ubi inquit. *Conſiderandum eſt, quod actus coniugalis quandoque quidem eſt meritorius,*



*& abſque omni culpa mortali, vel veniali; puta, cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei, ſic enim eſt actus religionis; vel cum ſit cauſſa reddendi debitum, ſic enim eſt actus iuſtitiæ. Omnis autem actus virtutis eſt meritorius, ſi ſit cum caritate. Quandoque vero eſt cum culpa veniali, ſcilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiſcentia excitatur, quæ tamen intra limites matrimonii ſiſtit, ut ſcilicet cum ſola uxore ſit contentus. Quandoque vero eſt culpa mortalis, puta cum concupiſcentia fertur extra limites matrimonii, ſcilicet cum aliquis accedit ad uxorem, æque libenter, vel libentius ad aliam acceſſurus. Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, inquantum aliquis conſentiens concupiſcentiæ in uxorem, non ſit reus peccati mortalis. Tertio modo omnino indulgentiam non habet.* Similia docet Gregorius, Anſelmus, Bonavent. & ceteri Patres, & ex recentioribus graviores Theologi communiter.

VIII. Prudentes tamen ſint Parochi, & Confeſſarii in monendis coniugibus, inſtruendiſque in ſancto matrimonii fine procreandæ, educandæque prolis in cultum Dei. Hunc finem altius inculcent: voluptatis captandæ, & concupiſcentiæ ſaturandæ caute meminerint. Cum enim abſque voluptate & concupiſcentia exerceri officium illud vix ſoleat, ſi ſubtilius quam par eſt diſpicere talia velint, aures offendent. Præ oculis habeant monitum Catechiſmi Tridentini, in quo *Part. II. cap.* VIII. §. 33. hæc habentur. *Extrema illa reſtat pars de iis quæ ad matrimonii uſum pertinent, de quibus ita agendum eſt a Paſtoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat quod fidelium auribus indignum eſſe videatur, aut pias mentes lædere, aut riſum movere queat. Ut enim eloquia Domini eloquia caſta ſunt; ita etiam maxime decet chriſtiani populi Doctorem eiuſmodi orationis genere uti, quod ſingularem quamdam gravitatem præferat. Quare duo illa maxime docendi ſunt fideles. Primum quidem non voluptatis, aut libidinis cauſſa matrimonio operam dandam eſſe, ſed eo utendum intra illos fines qui ut ſupra demonſtravimus, a Domino præſcripti ſunt. Meminiſſe enim convenit quod Apoſtolus hortatur: Qui habent uxores, tamquam non habentes ſint.*

IX. Quæſt. IV. *Peccant ne coniuges actum matrimonialem exercentes diebus feſtis, ieiuniorum, & ipſo Euchariſtiæ ſuſceptæ die?* Reſp. Negant Probabiliſtæ plurimi, Sanch. Bonac. Averſa, Henriq. Coninch, Salmantic. La-Croix, Viva, Sporer, Raynaudus, & alii plures, quos recenſere longum eſſet.

X. Affirmant omnes Patres, & ſacri canones. Lubet pauca tranſcribere ex *cauſ.* XXXIII. *quæſt.* IV. *cap.* III. ubi hæc de ieiuniorum tempore habentur: *Fratres, non ſolum debetis ab omni immunditia abſtinere, ſed etiam ab uxoribus propriis ſtudioſiſſime continetis. Nullus omnino uxori ſuæ ieiuniorum diebus coniungatur.* Rurſus ibi *cap.* IV. ſubditur de feſtis diebus: *Si cauſſa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum, quia & dies feſti, & ipſa ratio conceptus, & partus iuxta legem ceſſari temporibus his debere demonſtrant.* Iterum ibi *cap.* V. ex S. Auguſtino inculcatur. *Chriſtiano cum uxore ſua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim proceſſionis aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abſtinendum eſt, ut facilius impetrari poſſit quod poſtulatur. Unde Apoſtolus ex conſenſu ait abſtinendum ad tempus, ut vacetur orationi.* Lege ibi plura.

P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 321. inquit: Per ſe loquendo licitum „ eſſe die communionis habere uſum matri„ monii, dictum eſt Lib. VI. &c. „ Ad canones & SS. Patres, quos vidit apud Tiraquellum, reſpondet cum *Sanch. Coninch, Averſ.* & aliis, conſilium illos ſuggerere. Idem docent alii Probabiliſtæ communiter. Ut Confeſſariis evidentius ſemper comperti ſint auſus plurium Caſuiſtarum adverſus canones, & SS. Patres, operæ pretium exiſtimo iſthuc reſcribere quæ *cit. cauſ.* XXXIII. *cap.* I. habentur. *Si panes propoſitionis non poterant ab iis qui uxores ſuas tetigerant, comedi; quanto magis panis ille qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his qui coniugalibus paullo ante hæſere complexibus, violari, atque contingi? Non quo nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) ſed quod eo tempore quo carnem Agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Si ab omni cibo ieiuni ad Euchariſtiam accedere Chriſtiani debent; quanto magis ieiuni ſint oportet ab officio coniugali? De feſtis diebus *ibid. cap.* II. ex S. Auguſtino hæc præſcribuntur. *Quoties aut dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates inſtant, ſicut frequenter admonui,* (frequenter tunc Eccleſiæ Patres admonebant coniuges; nunc Parochi, Caſuiſtarum plurium opiniunculis præventi, vix mentionem faciunt,) *ante plures dies non ſolum ab infidelium concubinarum conſortio, ſed etiam a propriis uxoribus abſtinere debemus.* Iterum de ab-

de abſtinentia ante communionem hæc S. Auguſtinus *ſerm.* ccxlv. *de temp.* ſcribit. *Qui bonus Chriſtianus eſt, non ſolum ante plures dies quam communicet, caſtitatem ſervat, ſed uxorem ſuam deſiderio filiorum non agnoſcit: quia uxor non propter libidinem, ſed propter filiorum procreationem accipitur.* S. Auguſtinus ante plures dies præcedentes communionem caſtitatem ſervare coniuges debere ait. P. La-Croix cum aliis Probabiliſtis multis ipſo ſacræ communionis die coire uxoratos poſſe decernit. Et ut lectoribus fucum faciat, illos remittit ad P. Theophylum Raynaudum *Tom. XVI. I. Part. cap.* xiv. *n.* 35. Hiccine optimus Patrum interpres? Ne ſim longus, mitto refellere plura eiuſdem Raynaudi.

XII. Poſt canones ſacros, & Eccleſiæ Patres, S. Thomas rationem manifeſtam perhibet, cur non liceat officium coniugale exercere diebus feſtis, & multo minus ipſo ſacræ communionis die, in *Supplem. quæſt.* lxiv. *art.* v. inquiens: *Sicut aliqua loca ſunt ſacra, quia deputata ſunt ſacris; ita aliqua tempora ſunt ſacra propter eamdem rationem. Sed in loco ſacro non licet petere debitum. Ergo nec in tempore ſacro.* Subdit ibidem: *Actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad ſpiritualia; & ideo in diebus in quibus præcipue ſpiritualibus eſt vacandum, non licet petere debitum.* Labefactat ibidem ſophiſmata quæ opponi valent.

XIII. Verum ut aliquo pudore tangantur illi qui & feſtis diebus, & ipſo die ſacræ communionis licitum coniugii uſum defendunt, iubet in medium afferre quæ Concilii Trident. Catechiſmus *Part. II. cap.* viii. §. 34. præſcribit. Hic eſt citati §. titulus. *Coniugibus aliquando ab officio matrimonii abſtinendum.* Deinde hæc habentur. *Sed quoniam bona omnia ſanctis precationibus impetranda ſunt a Deo, alterum eſt quod fideles docere oportet, ut Deum orandi & obſecrandi cauſſa a matrimonii officio interdum abſtineant: in primiſque id ſibi obſervandum ſciant, tribus ſaltem diebus, antequam ſacram Euchariſtiam percipiant, ſæpius vero, cum ſolemnia Quadrageſimæ ieiunia celebrantur, quemadmodum PATRES NOSTRI recte & ſancte PRÆCEPERUNT. Ita enim fiet ut ipſa matrimonii bona maiori in dies divinæ gratiæ cumulo augeri ſentiant; & pietatis ſtudia ſectantes, non modo hanc vitam tranquille & placide traducant, ſed æternæ etiam, Dei benignitate conſequendæ, vera & ſtabili ſpe, quæ non confundit, nitantur.*

XIV. Sancti Eccleſiæ Patres præcipiunt ut *ſaltem*, inquit Eccleſiæ Romanæ Catechiſmus, *per tres dies* coniuges ante communionem abſtineant ab officio matrimonii. P. *La-Croix* cum plurimis aliis recentibus ipſo die per ſe loquendo coire ſimul poſſe uxoratos docet. Sæpius, cum ſacra quadrageſimalia ieiunia celebrantur, eamdem abſtinentiam Patres iubent. P. Ioſephus Gagna in ſuis adverſus meam *hiſt. Probab. & Rigor.* dialogis, nugarum pleniſſimis, deridendam proponit hanc abſtinentiam, & in ſcenam traducit matronulam, quam ipſe vocat *La Contaſſina*, quæ ira ſuccenſa marito erat ob talem continentiam. Hæc paullo prolixius reſcribere volui, ut exploratum lectoribus ſemper, occaſione data, fiat, quam longe a ſacrorum canonum, Conciliorum, Patrum, & Romanorum Pontificum doctrina diſtet plurium recentium Doctorum Theologia.

XV. Quæſt. V. *An officium coniugale ratione loci aut publici, aut ſacri ſit vitioſum?* Reſp. Si copula exerceatur in publico, ſeu coram aliquibus, peccatum mortale eſt, nemine diſſentiente, tum propter ſcandalum, & ruinæ occaſionem: tum propter pudicitiæ iacturam, reique inhoneſtatem. Quin tactus ipſi, & aſpectus, alioquin inter coniugatos liciti, coram aliis ſunt illiciti, & plus minuſve vitioſi.

XVI. Officium coniugale in loco ſacro omnes fatentur eſſe illicitum. De peccati gravitate vero diſputant. Sanguinis, aut ſeminis effuſione violari Eccleſiam, convenit penes omnes; & tunc etiam committi peccatum mortale. Sed in controverſiam vocatur, quænam ſanguinis aut ſeminis effuſio Eccleſiam violet. Aliqui contendunt, nullum patrari peccatum per copulam exercitam in loco ſacro, ſublato ſcandalo. Alii contendunt, per ſolam ſanguinis, aut ſeminis publicam effuſionem Eccleſiam violari. Hinc inferunt, copulam ſecreto & occulte habitam in loco ſacro culpa carere.

XVII. Miſſis his duabus opinionibus, tamquam manifeſte laxis, ſententia communior eſt, officium matrimoniale in loco ſacro ſacrilegum eſſe, & polluere Eccleſiam; licitum vero eſſe, & omni culpa carere, neceſſitate urgente. Primam partem evincunt, quod ſanguinis, aut ſeminis effuſio, neceſſitate ſublata, irroget gravem irreverentiam loco ſacro, illumque polluat; ut ex *cap. unic. de conſecrat. Eccleſ. in VI. diſt.* i. habetur. Alteram quoque partem oſtendunt, quia Eccleſiæ præcepta in caſu neceſſitatis non obligant.





Tunc autem neceſſitatem urgere gravem aiunt, cum per longum tempus commorari in Eccleſia coniuges coguntur; ut tempore belli, obſidionis, alteriuſque cauſſæ. Licet enim non ſit abſoluta neceſſitas, adeo tamen difficile eſt ut coniugati abſtineant a concubitu longo tempore, ut moralis neceſſitas congreſſionis reputetur. Tum autem longum tempus reputant, cum per decem, aut viginti dies, aut menſem morari in loco ſacro coniugati aſtringuntur. Animadvertit autem Sanch. *Lib. IX. diſp.* xv. quod ſi mora in loco ſacro ſit per menſem, tum poterunt ſimul coire in principio, in medio, & in fine menſis: quia, conſtituto longioris moræ intervallo, liberi coniuges ſunt, ut congredi pro libito valeant in loco ſacro.

XVIII. Hæc nobis laxa videntur, & auribus chriſtianis diſſona. Regula generalis definiri, ut mihi videtur, nequit, quandonam in loco ſacro licere poſſit officium coniugale. Vera ſententia ſacrilegio ſordere concubitum in tali loco fatetur. Quantum temporis ſpatium requiratur, ut excuſare a culpa poſſit, me latet: compertum tamen mihi eſt, inepte a multis Probabiliſtis illud definiri. Longius enim & brevius pro coniugum diverſitate conſtituatur oportet. Raro tamen accidere poſſe credo, ut hoc officium matrimoniale culpa careat in ſacro loco. An coniuges tempore infirmitatis, diſtantiæ, aliorumque eventuum abſtinere a copula non coguntur? An belli, vel obſidionis, vel peſtis tempus opportunum eſt vacandi officio coniugali, vel in ipſis Eccleſiis, & quidem tum in principio, tum in medio, tum in fine menſis? ut docet *P. Sanch.* & ex eo Salmanticenſes *num.* 68. Nec eſt quod diutius immorer in diſpicienda re quæ perraro contingit, & quæ natura ſua continentiam ſuadet.

XIX. Quæſt. VI. *An tempore fluxus menſtrui ſit licitum officium coniugale?* Reſp. Eſſe illicitum hoc tempore officium coniugale, communis eſt Theologorum ſententia: & hoc patet ex ipſa Scriptura ſancta: nam *Levit.* xx. dicitur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtrui . . . interficientur ambo de medio populi ſui.* Rurſus cap. xviii. *Ad mulierem quæ patitur menſtrua, non accedes.* Teſtimonia Auguſtini *Qq. in Lev. cap.* xiv. Hieronymi & aliorum Patrum prætereo brevitatis ſtudio.

XX. Diſputant Theologi, non de culpa, ſed de culpæ gravitate. Scotus, Ricardus de Mediavilla, Lyranus, Petrus Soto, & alii contendunt eſſe mortale crimen acceſſum ad mulierem menſtruatam. Sententia S. Thomæ in *IV. diſt.* xxxii. *quæſt. unic. art.* 2. *quæſtiunc.* 3. defendit peccatum iſtud veniale dumtaxat eſſe; inter venialia vero valde grave reſpectu petentis. Nam mulier quæ inſtanter petenti reddit, ut eiuſdem incontinentiæ periculum declinet, nullum peccatum perpetrat. Malitiam venialem prodit indecentia, & turpitudo talis actus eo tempore exerciti. Quare ut valde laxam reiicio opinionem quam docet P. Dominicus Viva *q.* vii. *artic.* i. *num.* 3. „ Quæritur ſecundo, „ quo tempore ſit illicitus actus coniugalis? „ Reſpondeo *non eſſe illicitum* diebus feſtis, „ aut ieiunii, *nec die communionis*, nec quo „ tempore uxor eſt gravida, aut prolem „ lactat, *aut menſtruum patitur*, nec ante „ benedictiones nuptiales; quamvis conſilium „ ſit iis temporibus abſtinere. “ Uno benigniſſimo ictu Auctor iſte ſcindit, & laxat coniugatis frena intemperantiæ coniugalis tempore omni. Quam ſit & communi ſenſui, & divinis Scripturis, & Patrum, & canonum, & præſertim Romanæ Eccleſiæ doctrinæ adverſa hæc *P. Vivæ* opinatio, & putidum commentum, ab ipſis Probabiliſtis communiter improbatum, ex iis quæ ſupra ſcripſi, manifeſtum eſt.

XXI. Quæſt. VII. *An ſit peccatum ad uxorem gravidam accedere?* Reſp. Cl. D. *Euſebius* AMORT, exquiſita & vaſta eruditione ornatus, artis criticæ peritiſſimus, ſanioris doctrinæ ſtrenuus aſſertor, æmulorum conatuum prævalidus repreſſor, atque inclytæ Bavaricæ nationis ſplendor, & ornamentum, integra *diſquiſitione*, inſcripta *de coitu coniugali cum uxoribus gravidis*, SS. Patrum teſtimoniis, omnique argumentorum genere recentium Caſuiſtarum opiniunculam penitus profligavit. Actum agerem, ſi ex inſtituto controverſiam hanc diſpicere vellem. Paucis eam delibabo. Convenit penes omnes, hunc congreſſum non eſſe, præciſo periculo abortus, peccatum mortale.

XXII. Hoc officium cum uxoribus gravidis culpa veniali ſordeſcere, docent SS. Eccleſiæ Patres omnes, quorum teſtimonia affert laudatus P. Amort. Pauca ego reſcribam. S. Ambroſius in Evangelium *Lucæ cap.* i. ad illa verba, *Concepit Eliſabeth*, inter multa hæc ſcribit. *Perinde quoque mito quodam opere loquuntur, generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi. Siquidem ubi ſemel ſenſerint genitali alvo ſemen receptum, iam nec concubitui indulgent, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis aſſumunt. At vero homines nec conceptis ipſis, nec Deo parcunt:*

*illos contaminant, hunc exaſperant.... Vel pecudes imitare, vel Deum verere.* S. Hieronymus in Epiſtolam ad Titum c. II. hæc habet. *Liberorum, ut diximus, opera in matrimonio conceſſa ſunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ ſunt. Hæc legens omnis vir, & uxor intelligant ſibi poſt conceptum magis orationi quam connubio ſerviendum. Et quod in animalibus, & beſtiis ipſo naturæ iure præſcriptum eſt, ut prægnantes, ad partum uſque non coeant, hoc ſciant in hominibus arbitrio derelictum, ut merces eſſet ex abſtinentia voluptatum.*

XXIII. S. Auguſtinus de bono coniugali cap. VI. inquit: *Sunt item viri adeo incontinentes, ut coniugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe coniugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum.... Coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, propter fidem tori venialem habet culpam.*

XXIV. SS. Patrum doctrinam confirmat in IV. diſt. XXXI. quæſt. II. art. 2. S. Thom. *Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem impregnatam, non tamen ita quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.* His SS. Eccleſiæ Doctoribus ſubſcribunt graviores Theologi. Sed plures Doctores moderni intercedunt, & contradicunt.

XXV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. par. III. num.* 324. hæc docet. " Quamvis abſit „ periculum abortus, quod communiter abeſt, „ tamen copulam eſſe illicitam, quando mu„ lier eſt gravida, videntur docere *ſancti Am„ broſius, Auguſt. Iſidorus*....... ſpeciatim „ *S. Hieronymus*.... SED SANCHEZ, & „ AVERSA concludunt cum aliis, per ſe „ loquendo nequidem veniale eſſe. "

XXVI. Non maiori modeſtia erga SS. Patres loquitur P. Theophylus Raynaudus *Tom. XIV. de ortu infantium per ſectionem cæſaream cap. II. pag.* 314. Poſtquam ibi recenſuit teſtimonia Origenis, Clementis Alexandrini, Ambroſii, fatetur adducta teſtimonia pluſquam indecentiam præferre, atque adeo culpam non levem; tamen concludit: *Hæc video PLUS ſonare quam INDECENTIAM propoſitam, & acceſſum ad gravidam culpæ non levis damnare: id quod etiam ferunt illa apud Burchardum Lib. II. Decret. cap. V. Concubuiſti cum uxore poſt manifeſtatam conceptionem? Decem dies in pane, & aqua pœniteas. Attamen hæc, & alia, quæ adverſus acceſſum ad gravidam traduntur ab AUGUSTINO ſerm. CXLIV. de temp. & ab aliis adducendis in Heteroclitis ſpiritual. tum de uſu coniugii, quidquid verborum cortex præferat, ACCIPIAM tantum de indecentia incontinentiæ indice, & imperfectionem, non culpam inferente, ut ſuadet ratio paulo ante propoſita.*

XXVII. Fatetur Raynaudus, SS. Eccleſiæ Patres acceſſum ad gravidam damnare non indecentiæ tantum, ſed & *culpæ non levis*, ſeu inter veniales gravis. Poſt ore rotundo ait: *Quidquid verborum cortex præferat, accipiam tantum de indecentia incontinentis indice.* SS. Eccleſiæ Patres vitioſam docent acceſſum ad gravidam; P. Raynaudus oppoſitum defendit. Si nos ſimilium recentiorum opinationes parvi pendamus; ſi illorum paradoxa profligare, & avertere ab eorumdem lectione incautos lectores ſtudeamus: an iure ſuccenſere nobis valent, cum ipſorum plures SS. Eccleſiæ Patrum opera negligant, eorumque doctrinam aut parvi faciant, aut emolliant, aut reiciant? Semel poſito quod licitum ſit in materia fidei, & morum a communi Patrum doctrina ſecundum obvium ſenſum accepta recedere, eamque pro ingenio inflectere, & emollire: qua ratione adverſus Novatores & plura Scripturæ ſanctæ oracula, & apoſtolicæ traditionis perennem ſucceſſionem demonſtrabimus? Audentius contra hanc Patrum doctrinam calamum acuit P. Raynaudus *Tom. XVI. in Heteroclitis ſpiritualibus pag.* 188. *& ſeq.* ubi hæc ſcribit. „ Vera ſenten„ tia ibidem ſtabilita (in examine ſectionis „ cæſareæ cap. II. a num. 13.) fert uſum „ illum coniugii nulla peccati labe ſordere, „ *ac ne veniali quidem labecula* inquinari. „ Et qui annis ſuperioribus in primaria Gal„ liæ Urbe de ſacro ſuggeſtu contrarium im„ provide buccinatus erat, merito a maiori„ bus ad palinodiam eſt adactus. Sane qui „ ſpecie pietatis ad peccati declinationem re„ fugeret, haud iniuria notaretur anomaliæ „ pietatis. Admittebam tamen prædicto loco „ uſum illum ..., non vacare indecentia... „ nec plus ferunt loca Patrum, commercium „ coniugale cum uxore gravida improbantium, „ quorum aliquos dicto loco retuli: vel, ſi „ plus voluerunt, molliendi, & in hunc „ ſenſum INFLECTENDI. „ Quid modeſtius, quid obſequentius in Patres?

XXVIII. P. Claudius La-Croix *loc. cit. num.* 321. & alibi frequenter, dum videt Patrum doctrinam ſuis opinationibus oppoſitam, remittit lectores ſuos ad P. Theophylum Raynaudum, tamquam ad celebrem PP. interpretem.



tem. Ne iſte præſtantiſſimus Patrum cultor? qui clamat: Patres, *ſi plus voluerunt, molliendi ſunt, & in hunc ſenſum inflectendi.* Nec plus operæ impendendum exiſtimo in profligandis ſive Raynaudi, ſive aliorum vanis commentis.

XXIX. Opponunt, iugum durum, & legem difficilem eſſe onus abſtinendi ab uxore gravida. Bene habet. An legem facilem, ſuavem, & concupiſcentiæ accommodatam efficere, contendunt Probabiliſtæ? Sed audiant Paulum Apoſtolum *I. Cor. cap.* VII. clamantem. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Carnis tribulationi obnoxios coniugatos Paulus aſſerit. Neque enim concupiſcentiæ ſitis frequenti, & libidinoſo potu extinguitur, ſed irritatur, & augetur, non ſecus ac ebrietas. Idcirco Paulus ad *Galat.* V. ſcribit: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis:* & rurſus ad Coloſſ. III. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Si legis difficultas abſterrere nos ab executione valet, actum de Evangelio eſt. An tum innupti, tum nupti innumeri non coguntur carnis ſtimulos reprimere, quin valeant officium coniugale agere? Quot coniugati partim abſentes, partim uxores habentes infirmas, deformes, querulas, ineptas, temperare ſibi ab officio coniugali non aſtringuntur? Quænam lex difficilior, quodnam iugum gravius, quam cohabitare, & dormire cum uxore querula, moroſa, rixoſa? de qua Salomon *Prov.* XXI. inquit: *Melius eſt ſedere in angulo domatis quam cum muliere litigioſa... Melius eſt habitare in terra deſerta quam cum muliere rixoſa & iracunda;* iterum cap. XXVII. *Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur.* Quam frequentes non ſunt uxores eiuſmodi? Quid, ſi vanæ, ambitioſæ, ſuperbæ, ut frequentiſſime ſunt, & patrimonium ſit exiguum? Quid, ſi coniugum indoles, inclinationes, & ut dicitur, temperamenta contraria ſint? Eſt ne in univerſa probabiliſtica officina quidquam quod emollire eiuſmodi duriſſima onera valeat?

XXX. Difficilis & dura lex eſt abſtinendi a coniugatis gravidis; ſed difficiliora ſorbere coniugati aſtringuntur. Difficilis eſt lex, ſi humanæ vires, ſi effrenata concupiſcentia, & æſtus libidinis ſpectentur; at ſuavis evadit, non frequenti coitu, ſed chriſtiana temperantia, & carnis mortificatione. Plures menſes habent coniugati ad indulgendum officio coniugali. Quo temporis intervallo debilitari, & infringi vires concupiſcentiæ in coniuge chriſtiano & bene morato valent, & ſitis temperari. Accedunt gratia ſacramentalis, labor, induſtria, liberorum cura, & affectus maritalis, quæ omnia ſunt validiſſima concupiſcentiæ remedia. Falluntur recentiores illi qui credunt frequentem concubitum ardorem extinguere libidinis. Numquid avaritiæ ſitim divitiarum copia, numquid ignis flammas lignorum abundantia, numquid gulæ ingluviem, & ebrii æſtum immoderatus cibus & potus auferunt? Quemadmodum ergo ad ceteras omnes appetitiones moderandas remedium non eſt eas in ſuis actibus exercere, ſed ſicut gula temperantia moderata, ſic concupiſcentia mortificatione & abſtinentia congrua, & aliarum virtutum exercitio in coniugatis ipſis frenatur. Iugum Chriſti ſuave efficere Caſuiſtæ plures contendunt, legem evangelicam laxando, & accommodando ad hominum inclinationes. Sed omnes Patres caritatis amore, & chriſtianarum virtutum officiis ſuave fieri iugum Chriſti teſtantur. Cedo: quid difficilius quam quotidiana pugna cum gula? Ut hanc pugnam facillime tollerent Doctores moderni pauci, docuerunt: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Docuerunt coniugatos hoc aliud axioma: *Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac defectu veniali.* Ex his duabus proſcriptis theſibus perficiſcuntur opinationes Raynaudi, Viva, La-Croix, & aliorum, quas oppugnavi. Intelligamus ergo tandem aliquando, ſola mortificatione, & chriſtianarum virtutum aſſiduo cultu ſubigi, & in ſervitutem redigi carnis concupiſcentiam. Doctores moderni plures docent, coniugatos abſtinere a congreſſu debere, dum obeſt valetudini. Nam ſcribit P. La-Croix *loc. cit. n.* 327. „ Notat Sanch. ſtatim poſt prandium ha„ bere copulam nocere valetudini; retulitque „ medicus, virum in phthiſim incidiſſe, quia „ ſolitus erat poſt prandium convenire uxo„ rem. " Utinam eamdem ſollicitudinem adhiberent Auctores illi in exponendo detrimento quod anima patitur ex hoc nimis frequenti congreſſu. Sed de hoc pluſquam ſatis.

XXXI. Quæſt. VIII. *An licitus ſit congreſſus inter amentes & ebrios coniuges?* Reſp. Quando ambo coniuges ſunt amentes, continuo ſeparandi ſunt. Qui eos ad copulam carnalem incitaret, peccaret mortaliter. Quoniam filii, a fatuis parentibus geniti, edu-

cationo deſtituti forent: & hujus mali cauſa eſſet qui amentes ad copulam induceret. Accedit quod facilius abortus ſequeretur. Conjux ſanus non tenetur ſtulto petenti reddere; ab eodem vero petere jure valet, ſi velit. At quis ſanæ mentis cum fatuo congredi prudenter valet? Conjugi ebrio petenti non tenetur alter reddere debitum; tamen ad vitanda pollutionis, incontinentiæ pericula, & alia mala, reddere per accidens conjux aſtringitur.

## CAPUT IX.

*De peccatis conjugum contra honeſtum modum exercendi officii conjugalis. Quomodo iiſdem liceant delectationes moroſæ, tactus, & aſpectus. Laxæ & impudicæ quorumdam recentium opiniones profligantur.*

I. TRactant caſus temporum Doctores temporum. Doctores moderni non pauci libidinis cœnum tam immoderato minutoque modello calamo ex omni parte verſarunt, ut vix in Ethnicorum Poetis tam impuræ deſcriptiones reperiantur. Vel ipſum atramentum, nedum animus, erubeſcit ea referre quæ nova aliquorum benignitas de ſacramentali Chriſtianorum toro in controverſiam vocavit. Non modo hæretici, ſed vel ipſi impii, præſertim Petrus Bellius, tantam in nonnullis Caſuiſtis, tamque incautam de hac materia ſcribendi libertatem exſecrati ſunt. Alto ego hæc omnia præterire ſilentio decreveram; verum mutare conſilium coactus fui, tum ut impii, & Novatores intelligant, Theologos catholicos deteſtari eas omnes opiniunculas quas nonnulli Caſuiſtæ minus cauti contra ſanctam matrimonii honeſtatem invexerunt; tum ut obſcœnas opiniones penitus profligem, & errandi periculo minus cautos Confeſſarios ſubducam. Ad rem igitur.

II. Quæſt. I. *Quomodo peccare conjuges valent contra modum, ſeu ſitum exercendi officii matrimonialis?* Reſp. Haud opus eſt talia diſpicere, cum ſit ipſa natura magiſtra. Chriſtiani cujuſcumque ſtatus habere ſemper ante oculos debent propriæ profeſſionis primas & immobiles regulas. Potiſſima autem conjugatorum regula eſt illa quam Tobias *cap.* VIII. aſſignat. *Et nunc, Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Hæc, & pudorem a natura inſitum in mente habeant conjugati; & continuo omnia munda & ſancta ſunt. Natura ipſa docet ut in præſtando officio conjugali mulier ſit ſuccuba, vir incubus. Peccant ergo conjugati, ut ad propoſitam quæſtionem reſpondeam, ſi hunc a natura ordinem præſtitutum invertant, exercendo officium illud, ſtando, ſedendo, ſi vir ſuccubus, & mulier incuba, ſi præpoſtere pecudum more, licet ſervato vaſe, congrediantur. Nimia viri pinguedo, & feminæ teneritudo, periculum abortus, excuſare interdum poteſt, ut modo propinquiori ad honeſtatem, & periculo declinando, non voluptati captandæ opportuno utantur.

III. Quæſt. II. *An conjuges peccare mortaliter poſſint, dum ſolum modum officii maritalis perturbant?* Reſp. Communiter negant Auctores moderni (Patres enim has quæſtiunculas non moverunt) peccare mortaliter abſolute loquendo ob ſolam modi perverſionem conjugatos, ſive præpoſtere, ſervato vaſe debito, ſive per latus, ſive mulier ſit incuba, & ſuccubus vir, ſive ſtando, ſive ſedendo, officium illud exerceant, dummodo abſit effundendi ſeminis periculum; etiamſi ſola voluptas ſit illius actionis finis. Rationem tradunt: quia quando finis principalis, qui eſt prolis generatio conſtat, tranſgreſſio ordinis ſecundarii eſt dumtaxat culpa venialis. Atqui quocumque ex recenſitis modis congreſſus fiat, ſi vas debitum ſervetur, nullo modo impeditur finis principalis, nempe generatio prolis: quia, inquiunt, in feminæ matrice extat vis ad attrahendum ſemen viri ſuccubi, aut ad latus extantis. Ergo captatio voluptatis erit ſolum culpa venialis.

IV. P. Sporer *nu.* 402. fatetur duos modos, nempe præpoſterum, & dum mulier eſt incuba, a graviſſimis DD. peccati mortalis damnari. P. Sanchez *Lib. IX. diſp.* XVI. confitetur, Vincentium Bellovacenſem, Philiarcum, S. Thomam, S. Antoninum, Alenſem, Aſtenſem, Nicolaum de Orbellis, Alexandrum Veracruzium, & alios damnare peccati mortalis præſertim modum præpoſterum, & plures etiam alterum modum quo mulier eſt incuba. Et ſane ab his duobus modis ipſa natura abhorret, eoſque ego numquam permitterem. Ipſe Sporer concedit eſſe *peccatum veniale certe craſſum*. Ut minus mihi dubia res eſt, ſit ne mortale, an veniale. Hoc ſufficit ut id quod tutius eſt, ampleſtar. Et eo majori reprehenſione digni ſunt conjuges, quod ſola impotens libido ad hos modos eoſdem compellat. Si enim aliqua juſta adeſſet cauſa, a gravi culpa facilius excuſari poſſent. Ex circumſtantiis igitur variis, quæ occurrere poſſunt, conſiderare prudens Confeſſarius poterit, num reipſa contingat aliquid quod a





culpa mortali excuſet. Omnes fatentur, quod ſi ſemen effundatur, aut ex præterita effuſione periculum futuræ effuſionis grave dignoſcatur, tunc flagitium ſit mortale.

V. Quæſt. III. *Si vir conſueſcat, dum officium præſtat, ſe retrahere, ut generationem impediat, peccat ne uxor debitum reddendo?* Reſp. Hunc caſum proponit Joannes Pontas verb. *Debitum conjugale*, caſ. 53. Et quamvis Auctor iſte ſaniorem ſemper doctrinam propugnet; tamen hac in re laxam, & evidenter falſam opinionem amplexus eſt. Reſpondet enim, mulierem nulli culpæ obnoxiam eſſe, dummodo ipſa diſſentiat, repugnet, &, quoad poteſt, obſiſtat: idque probare nititur exemplo *Onam*, qui, ut habetur *Gen.* XXXVIII. ob ſeminis effuſionem in concubitu cum Thamar percuſſus a Deo fuit, *eo quod rem deteſtabilem faceret*; Tamar autem punita non fuit. Quid hinc? Ergo non peccavit Thamar, quia percuſſa non legitur? Inepta eſt conſecutio iſta. Semper ne Deus omnes peccatores manifeſto temporali ſupplicio plectit? Severe animadvertit Deus & in *Her* primogenitum nequam, & in *Onam* rem deteſtabilem agentem. Punitionem Tamar non legimus; at non inde legitime infertur: ergo non peccavit, ſi advertit, & non negavit congreſſum: quia, ut dixi, non omnia ſcelera Deus in hoc mundo punit. Peccat ergo talis mulier debitum non negando, quando experientia didicit belluinum maritum conſueſcere ſemen ad generationem deſtinatum prodigere. Quoniam debitum reddendo rei natura ſua malæ & illicitæ dat operam. Quamobrem jure Clerus Gallicanus anno 1700. ſequentem propoſitionem damnavit. *Permiſſum Suſanna in tanto periculo infamiæ & mortis negative ſe habere, & permittere in ſe eorum libidinem, modo eam deteſtata & execrata fuiſſet.* Cenſura in hanc laxam doctrinam lata ejuſmodi eſt: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, caſtarum aurium offenſiva, erronea, & legi Dei contraria.* Si Theologia accommodatitia primis Eccleſiæ ſæculis extitiſſet, quot Chriſtianos a morte ſubeunda retraxiſſet? Idololatria materialis & formalis, cooperatio proxima & remota, directa & indirecta, zelus amplificandæ religionis chriſtianæ, non ſanguinis effuſione, ſed via blandiori & benigniori, aliæque diſtinctiunculæ prodiiſſent in medium.

VI. Quaſdam alias propoſitiones caſuiſticas tranſcribam quæ horrorem ingerunt, quæque referri vix poſſunt abſque naturalis pudoris detrimento; tamen quia extant in libris Caſuiſtarum, qui omnium manibus teruntur, & ſeducere imperitos poſſunt, ut omnes Chriſtiani eas deteſtentur, tranſcribendas & refellendas exiſtimavi.

VII. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* 11. *ſec.* 3. §. 3. *num.* 400. *pag.* 356. „ Etſi enim „ uxor ſciat maritum *ſolere* copulam abrumpere, & ſemen effundere, non tamen peccat „ *nec petendo, nec reddendo*, dummodo ipſa „ non conſentiat, nec cooperetur: quia non ſequitur ex actione uxoris, ſed præciſe ex „ malitia viri. „ Non cooperatur petendo actionem flagitioſam, ſceleratam, beſtialem? Compertum uxori eſt, maritum *ſolere* hoc ſcelus patrare; & dum ab eo petit actionem cui adjunctum flagitium ſcit, non peccat? Sic docent Doctores moderni plures. Ergo opinio eſt probabilis, inquiunt. Nos vero dicimus, hanc opinionem eſſe deteſtabilem.

VIII. P. Antoninus Diana *Part. III. reſol.* 37. „ Quidam inchoabat copulam cum uxore, & poſtea ob morbi periculum de ejus „ conſenſu ſe retrahebat; verum ex hoc aliquando ſequebatur pollutio. Quæſitum a „ me fuit, an talis actus eſſet licitus? *Reſpondi affirmative.* „ Hic eſt ille agnus, inquit Caramuel, qui tollit peccata mundi. Illa tamen non tollit ſimilis opinandi ratio, ſed multiplicat, & ſcandalum ingerit tam Catholicis, tam hæreticis. Si is prævidet morbi periculum, cur non abſtinet ab officio? Requirit tamen uxoris conſenſum, ut ambo evidentius ſceleris participes fiant.

IX. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* 11. *ſec.* 3. §. 3. *n.* 402. „ Inſuper, ceſſante omni periculo pollutionis in utroque conjuge, conjuges mutuo conſenſu inchoatam copulam abrumpentes, *ne proles generetur*, ſive ob inopiam, ſive ob aliam cauſam, non peccare mortaliter, docent *Doctores* ſatis communiter. „ Illi Doctores *ſatis communiter* ſimilia docentes magni ſacramenti matrimonialis ſanctitatem temerant, profanant, fœdant. Quid? Officium conjugale ſimulare, & abrumpere abſque peccato mortali poteſt? Sed magis popodioſa audiamus.

X. Idem P. Sporer *ibidem*. „ Qui (*DD.*) „ id etiam *omni culpa* excuſant, quando „ juſta cauſa ſubeſt, v. g. ob paupertatem, „ ne multiplicetur proles *ex una parte*; *ex altera vero parte ad ſedandam aliqualiter concupiſcentiam, & incontinentiam vitandam.* „ Doctores ergo moderni plures invenerunt modum exercendi officii matrimonialis, ſimulque declinandæ generationis, quæ eſt finis primarius ſacramenti? Unum tamen incommodum

pati debent, quod nequeant in totum libidinem explere. Sed ex una parte poſſunt exercere dimidiatam copulam ob *paupertatem, ne multiplicetur proles;* ex altera parte ad *ſedandam aliqualiter concupiſcentiam*, voluptatem *præambulam*, *ſeu mediam* captare poſſunt. Sanchez *Lib. IX. diſp.* xix. hanc doctrinam prius docuit.

XI. Plurima alia docent de hac copulæ maritalis exercitio DD. moderni, quæ nec improbare, nec propriis verbis exprimere audeo. Illa omnia colligunt P. Sporer, & P. La-Croix. Illorum verbis eadem dabo.

XII. P. Sporer *loc. cit. n.* 491. „ Modus copulæ conveniens, & ſanum eſt conſilium, ut coniuges curent ut ſimul utriuſque ſemen effundatur, eo quod id multum conducere ad prolificandum doceant Medici. Quare tardiori ad ſeminandum permittendum, immo conſulendum eſt, ut ante concubitum tactibus excitetur ad venerem, ut ſic poſſit in ipſo concubitu ſimul ſeminare: eius tamen rei nulla eſt neceſſitas, vel obligatio. Quare dum vir ſemen effundit, non tenetur feminæ ſeminationem expectare: neque culpæ ſaltem letalis reus erit vir prius tactibus incitans venerem, ſciens ob id citius feminam ſeminare. Ita cum aliis *Sanchez cit. diſp.* xvii. n. 8. *&c.* addens *n.* 2. Ubi vir, feminæ intra vas recepto, membrum virile extraxit, licet feminæ, quæ nondum effudit, tactibus ſe excitare, donec & ipſa ſeminet, quia hæc provocatio eſt actus coniugalis perfectio, & conſummatio. Confirmatur, quia alias maximo, & evidentiſſimo periculo admittendi peccata mortalia eſſet expoſita femina. *Hæc vita & moribus verè virgineus, ſed doctrina phyſicus Sanchez*, cui ſubſcribunt expreſſe *Bonacina*, *Perez*, *Baſil. Pontius*, *Dicaſtillo*, *Diana*, teſtans ita ſentire *Leſſium*, *Gobat*, merito reprehendens Stephanum de S. Paulo, ſcribentem oppoſitam ſententiam eſſe *omnium* communiter. Certe hæc doctrina mihi non raro fuit neceſſaria in *Confeſſionali*. Similiter autem e contra neque etiam uxorem peccare, *ſi viro uſum vaſis concedat, ipſa vero animum ad alia convertat, ne concitetur ad ſeminationem, & ſic impediatur generatio prolis ob ſupra dictam aliquam iuſtam cauſſam, docent ibidem Sanch. Perez, Dicaſtillo, Eſcobar, & alii cum Diana, Gobat.*"

XIII. Quæ ultimo loco diſtincto charactere ſignata docent Doctores citati, horridula mihi videntur. Cetera quæ ſcripſi, prudentum Confeſſariorum iudicio ſubiicio. Non repugno, immo convenio, non eſſe coniuges ad anguſtias redigendos: neque ſeveritate nimia, quæ officium coniugale comitantur, metienda. Tactus, amplexus, & alia quæ præmittuntur, non voluptatis, ſed neceſſitatis cauſſa, ad commovendum, accendendumque libidinoſum ardorem in ordine ad congreſſum matrimonialem, ſunt prorſus innoxia, non ſecus ac concubitus ipſe: iiſque uti poſſunt, & etiam interdum debent mulieres naturæ frigidioris, ne poſt concubitum acrioribus urantur ignibus, ut docent Theologi graviores. Ceterum peccant, & quidem mortaliter, dum prolis generationem impedire coniuges ſtudent.

XIV. Quæſt. IV. *Qui amplexus, tactus, & oſcula licita ſunt coniugatis?* Reſp. Plura ſupra quam dici poteſt propudioſa docent Doctores recentes permulti. Aliqua ipſorum verbis, ut calamo uneo conſulam, tranſcribam. Omnes tamen abſolute adfirmant, peccare mortaliter coniugatos, exercentes actus impudicos graviter honeſtatis naturalis confinia tranſilientes. Omnes in iiſdem damnant graviſſimi ſceleris copulam ſodomiticam in vaſe innaturali quocumque conſummatam, vel inchoatam animo ibidem eam conſummandi. Immo gravius & horrendius ſcelus illud eſt inter coniugatos, cum ſit formale adulterium, ſacramentum matrimoniale violans, quam inter ſolutos. Per vas innaturale intelligunt quamcumque corporis partem præter illam a natura deſtinatam ad generationem. Sigillatim plura explicant illi, a quibus ego abſtinere decrevi; ſed aliqua ipſorum verba concepta referibam.

XV. P. D. Antoninus Diana Part. IV. tract. iv. reſol. 221. *Væ, væ coniugatis, ſi vera eſſet opinio Paludani, Sylveſtri, Rodriguez docentium, eſſe mortale, ſi coniuges inter ſe tangant, & oſculentur pudenda propter ſolam impuritatem.* Et ut ab hoc *Væ* R. Diana ſubtrahat coniugatos, talia horrenda oſcula, quæ neque Catullus, aut Iuvenalis, vel Ovidius permitterent, licita faciet?

XVI. P. Thomas Sanchez *Lib. IX. diſp.* xvii. n. 5. „ Quod ſi vir in ſuperficie tantum vaſis præpoſteri uxoris fricaret ſua verenda, vel in os eius intromitteret, ceſſante omni pollutionis periculo, non crederem eſſe mortale .. „ Vita & moribus virgineum Sanch. cum P. Sporer agnoſco; at virgineus ſane non eſt, neque pudica hæc ab eo tradita doctrina, quam neque ſcriptis conſignare debuiſſet, neque a mortali culpa excuſare. Quid de illo pluſquam belluino congreſſu in ore



ore peracto dicendum? Et tamen Filliucium *tr.* xi. *c.* ix. alioſque DD. modernos non pudet excuſare coniuges in ore excipientes verenda, eadem lambentes, oſculantes. Vah infanda, & putidiſſima monſtra!

XVII. Diſputant nonnulli Doctores moderni, an tactus, oſcula &c. cum periculo pollutionis præciſe in petente, vel reddente, peracta, non cauſſa delectationis, ſed amoris fovendi, ſint licita? Adfirmant de more Sanch. *Lib. IX. diſp.* xlv. *n.* 33. & cum ipſo Filliucius, Zanardus, & alii, dummodo pollutio non intendatur, nec de ea habeatur complacentia. Communis & vera ſententia, inquiunt Salmanticenſes *n.* 86. negat. Quoniam, cum prævidetur pollutio, fit voluntaria in cauſſa, nempe in actibus voluntariis, unde proficiſcitur.

XVIII. Similiter diſſerunt, num tactus libidinoſi coniugatis liciti ſint, quando ſunt abſentes, nec habere congreſſum valent. Si enim adſtantes ſint, conveniunt pene omnes eiuſmodi tactus, amplexus, oſcula ordinata ad eorum officium, quod exercere poſſunt, licita videri eſſe, dummodo ſemper abſit pollutionis periculum. Contra, ſi abſentes ſint, tactus libidinoſi cum ſemetipſis illiciti ſunt illis, quemadmodum ſolutis: quia tactus libidinoſi ſua ſponte natura inclinant ad pollutionem. Ergo peccant mortaliter in caſu abſentiæ tales actus exercentes.

XIX. Eſt ne mortalis culpæ delectatio moroſa de cogitatione concubitus habiti, vel habendi ab altero coniuge, quando talis copula haberi de præſenti nequeat? Negant Sanch. Diana, Bonacina, Averſa, & alii plures. Adfirmant contra Sylveſter, Baſilius Pontius, Vega, Dicaſtillus, Rodriq. Et hæc ſententia probabilior eſt, quando delectatio eſt cum carnis commotione, alteratione ſpirituum, & partium titillatione; ut communiter eſt eiuſmodi delectatio. Utique delectatio hæc reſpicit obiectum licitum honeſtumque; at cum copula, alioquin licita, hic & nunc ſit impoſſibilis, ut ſupponitur, iam delectatio evadit vitioſa de præſenti. Quare laxa iudico quæ ſcribit P. Sporer *loc. cit. num.* 505. „ Licita eſt coniugibus delectatio moroſa venerea, ſeu voluntaria admiſſio, approbatio, *ac veluti fruitio delectationis* venereæ exurgentis in partibus verecundis ex commotione ſpirituum generationi ſervientium, ex copula coniugali tantum cogitata, *etiam altero coniuge abſente*, vel alias ipſa copula impedita, *vel prohibita*, ſecluſis ſemper tribus prædictis, periculo pollutionis, dubio de matrimonii valore, & voto caſtitatis. Communis DD." Doctores iſti paganitia loquuntur, & chimærica commenta ſomniant. Qua enim ratione a fruitione delectationis venereæ, exurgentis in partibus verecundis ex commotione ſpirituum, ſeparant pollutionis periculum? Tali fruitioni venereæ voluntariæ cum alteratione ſpirituum, partiumque titillatione inſitum eſt pollutionis periculum.

XX. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* iii. *a num.* 718. *uſque ad n.* 750. more ſuo cenſum infarcit opinionum omnium quas in hac materia excogitarunt DD. moderni, præſertim Sanch. Diana, Gobat, Mendo, Dicaſtillus, & alii ſimiles. Niſi materia nimis lutulenta eſſe, reſcribere voluiſſem talium contrariarum opinionum catalogum, ut novum haberent lectores argumentum Pyrrhonicæ metodi, quam frequenter ſectatur Auctor ille. Sed ſat eſt indicaſſe locum, ut quiſque rei periculum facere queat. Piget enim diutius hoc in luto calamum detinere.

XXI. Quæſt. V. *Licitum ne eſt eiicere fœtum variis adhibitis remediis, quando abſque evidenti matris periculo ſervari nequit?* Reſp. Principio certum eſt, quod, ſi probabile periculum abortus per experientiam marito innoteſcat, vel uxorem abortui obnoxiam eſſe, ſi hac aut illa poſitura cum ea concumbat, mortiferus ſit eiuſmodi congreſſus. Deinde certum eſt, extra evidens periculum matris graviſſime peccare illos qui abortum procurant, etiamſi fetus nondum ſit animatus. Quoniam Tertullianus in *Apologetico c.* ix. inquit: *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet.*

XXII. Doctorum recentium aliqui docuerunt has duas ſequentes theſes, quas Innocent. XI. proſcripſit. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Occidi poſſe hominem qui prævidetur infamaturus alicuius communitatis, docuerunt alii nonnulli Doctores recentes, quorum ſimiliter damnata doctrina eſt. Nequit ergo puella ad mortem, vel infamiam declinandam, abortum procurare ſeros maximos; immo neque ad vitandam infamiam, ſive feminæ nobilis, ſive ſacri Gynecæi, licita eſt talis procuratio, cum intrinſecus mala ſit; ſive procuratio indirecto, ſive alio quocumque indirecto modo attentetur. Similiter nullo modo licet impedire fetus conceptionem. P. Sanch. qui præ ceteris mariti, feminarumque innumerabiles, & inexcogitabiles congreſſiones diſpexit *Lib.* II.

*diſp.* XXII. docet, feminam vi oppreſſam poſſe continuo ſemen expellere, tanquam ſuæ caſtitatis aggreſſorem, ad vitandam infamiam. Quam opinionem ego reputo falſam. Prægnantes procurantes abortum obnoxiæ ſunt, ſicut & ceteri qui operam contulerunt, excommunicationi latæ a Sixto V.

XXIII. Alteram theſim proſcripſit Innocentius XI. quæ eſt 35. *Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Theſis hæc adeo inepta eſt, ut nemo Caſuiſtarum illam propugnaverit; cum illam adſcribat Caramuel in *Theolog. fundam. num.* 1105. Marco Protomedico Pragenſi. Sponte evaneſcit, quin confutatione egeat. Qui procurant abortum fetus animati, peccant mortaliter, etiamſi alioquin periculum ſit ne fetus ſimul cum matre moriatur: quoniam numquam licitum eſt innocentem occidere, ne quidem pro alterius vita præſervanda. Nec eſt quod opponas, licitum eſſe occidere aggreſſorem: quia fetus in ventre matris non eſt aggreſſor ejuſdem vitæ, cum a Deo in illo utero ſit conſtitutus, & a natura formatus. Si fetus nondum animatus ſit, licitum erit illum in extremo periculo ejicere, ut matris ſaluti conſulatur; quemadmodum docent S. Antoninus *III. Part. tit.* VII. *c.* II. §. 2. Sylveſter verb. *Medicus quæſt.* IV. Sanchez *Lib. IX. diſp.* XX. Armilla verb. *Abortus*, Navarrus, Eſtius, & alii communiter.

## CAPUT X.

*Unde communiter procedat, plurima matrimonia graviſſimis incommodis, & ærumnis abundare. Nonnulla monita ad Confeſſarios, & Parochos.*

I. BOnus Merbeſius, Auctor graviſſimus, ut ait Cardinalis de Aguirre, & ſanioris doctrinæ prævalidus aſſertor, minime vero Rigoriſta (quidquid ſabuletur Franeolinus) niſi is Rigoriſta habendus ſit qui laxa plurium Caſuiſtarum paradoxa profligat, de *matr. qu.* XII. plures aſſignat cauſas, cur matrimonia non pauca miſeriis ærumniſque abundent.

II. Cauſſa princeps eſt, quod multi, Deo inconſulto, & ſolius vel avaritiæ, vel luxuriæ, vel ambitionis ſuggeſtione tantum connubium aggrediuntur. Sigillatim Hugo de Sancto Victore in epiſtola ad ſuum ſodalem, ſines quos permulti fœderis conjugalis ineundi ſibi præſtituunt, exponit, inquiens: *Ducuntur uxores hodie, non cauſſa vitandæ fornicationis, ſed cauſſa luxuriæ; non cauſſa prolis, ſed cauſſa pecuniæ. Divitiæ magis in uxoribus eligi ſolent quam pudicitia. Multi non uxores, ſed dignitates uxores ducunt; ideſt, non ducunt uxores ob virtutes quas in ipſis videant, ſed ob pecunias quas numerare queant. Optima & ſana res eſt, quam non avaritia conciliat, non luxuria copulat.*

III. Illi omnes qui ſaturandæ libidinis cauſſa matrimonia ineunt, in graviſſimas ſe conjiciunt ærumnas. Venantur in hunc finem mulierculam pulchritudine ornatam, quæ inſtar Sirenis voce excantat, viſu dementat, lenociniis, & blanditiis ſeducit. Antequam poſſideatur, ſuſpiria excitat, flammas incendit, & vix poſſeſſa viloſcit, ſordetque amatori. Libido quippe, & dæmonis præſtigia ſimilia hedera ſtringunt. In ejuſmodi ſponſos dæmon ſuam exercet tyrannidem. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt .... Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt:* inquit Eccleſiaſtes *cap.* IX. ubi plura documenta ſaluberrima præbet.

IV. Non minus infelicia connubia ſunt quæ divitiarum contrahuntur amore. Adoleſcentuli duo, Philoſophi filiam ſponſam ducere contendebant: quorum alter inops quidem erat, ſed prudens, & benemoratus; alter optime nummatus, ſed leviculus, & mentis ſanitate laborans. Philoſophus pauperi juveni filiam in ſponſam dedit, ſelecto divite; & amicis factum exprobrantibus repoſuit: *Malo dare filiam viro indigenti pecunia, quam pecuniæ indigenti viro.* Ethnicus ipſe agnovit, optimam indolem, ſtatum ſanam, juvenem prudentem, puellam caſtam, verecundam, modeſtam, divitiis, nobilitati, titulis fulgidis in matrimonio ineundo præferendam eſſe.

V. Altera potiſſima cauſſa calamitatum, jurgiorum, rixarum quæ ſociare matrimonia ſolent, ſunt ſacrilega flagitia quibus contaminati ad tam magnum ſacramentum ſponſi accedunt. Tot quippe propudioſa ſcelera perpetrare mutuo nuptorientes non pauci ſolent ſponſalium tempore, ut indigni ſæpenumero abſolutione ſacramentali ſint vel ob habitus pravos, vel ob alia peccata commiſſa: quamvis ab aliquo Confeſſario minus cauto illam extorqueant. Sacramentum Euchariſtiæ ſceleſtibus ſordati percipiunt: tandem ipſum magnum ſacramentum matrimonii ſacrilege celebrant. Quid ergo mirum, ſi infauſta matrimonia, quæ non Chriſti caritas, non virtutis amor, ſed carnis libido, ſed avaritiæ ſitis,





ſed ambitionis ſpiritus ſtringunt, diſſidia, jurgia, & ſchiſmata pariant?

VI. Tertia malorum cauſſa eſt, quod nec mulieres ſubditæ viris eſſe velint, nec viri diligere uxores ſuas, ut convenit, ſoleant. Uxores parere maritis aſtringuntur, ut dominis, inquit *Epheſ.* V. Paulus Apoſtolus. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino. Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſalvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* Verum cur mulieres hoc præceptum ſæpe transgrediantur, ut plurimum in cauſſa mariti ſunt, qui virtutum exemplo præire fœminis, qui chriſtiana prudentia infirmioris ſexus defectus perferre, qui divino amore proſequi uxores ſuas negligunt, contra ejuſdem Apoſtoli mandatum: ſubdit enim continuo idem Paulus: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea .... Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis ejuſdem, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Veruntamen & vos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat; uxor autem timeat virum ſuum.*

VII. Quis ſacra quadam admiratione raptus, non obſtupeſcit, hanc divini eloquii granditatem inaudiens, qua S. Paulus matrimonii dignitatem deſcribit? Uxorem Eccleſiæ, Chriſtum maritum, & utriuſque nexum conjunctioni Chriſti cum Eccleſia comparat Apoſtolus. Has ſublimiſſimas matrimonii dotes ſi altius conjugatorum animis imprimere Parochi curarent, ſanctiora ſane florerent Chriſtianorum matrimonia. Si mariti hanc evangelicam doctrinam præſentem haberent, ſi eadem imbuti ad matrimonium accederent, ſi uxores ſuas, ut Chriſtus Eccleſiam, ſpectarent, eas diligerent, honorarent, cuſtodirent ut caſtiſſimas ſponſas. Et conſequenter uxores revererentur maritos ut Chriſtum, iiſdem obedirent ut dominis, diligerent ut patres.

VIII. Quarta adulteriorum, rixarum, mutui odii cauſſa in conjugatis eſt hodierna illa peſtifera, & gentibus omnibus hactenus inaudita corruptela promiſcuarum converſationum mulieres inter & viros, uxores inter & alienos maritos. Uxores illæ quæ ſolæ, maritis propriis neglectis, cum aliis converſantur, ludunt, ſaltant, tripudiant, non uxores, ſed viliſſima ſcorta, & de trivio meretriculæ ſunt, quæ Chriſtum, quæ Eccleſiam infamant, maritos dedecorant, familiarum ſucceſſionem abrumpunt, & totam ſocietatem perturbant. Niſi tollantur hæc promiſcua virorum mulierumque commercia, fruſtra conjugiorum diſciplinam reformandam conſilimus. Omnium malorum cauſſa mariti ſunt; ſicut omnium communitatum relaxationes a Superiorum deſidia, politica diſſimulatione, carnali prudentia, & iniquitate proficiſcuntur. Nolunt mariti ſuam coercere concupiſcentiam; non ſunt contenti proprii fontis potu, ſed alienas lutulentas ciſternas inquirunt: idcirco uxores in ordine continere nequeunt; ſed pravis exemplis ad ſua ſectanda veſtigia impellunt, atque eiſdem habenas remittere coguntur. Quod ſi ipſi initio chriſtiana gravitate, & prudenti regimine uxores ſuas, non verbis modo, ſed operum etiam exemplis moderarentur, ſi eaſdem cuſtodirent, eaſdem providerent; ſubjectas, & obſequentes haberent. Sed fracta prima domeſtici imperii rota, omnia in pejus ruunt. Qui nuptuiri ſunt, continenter meminerint Salomonis oraculi: *Pars bona mulier bona: in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis:* Eccli. XXVI.

IX. MONITUM primum quod Parochis, & Confeſſariis exhibeo, eſt, ut diſcant a Paulo Apoſtolo ſermonis modum quo conjugatos alloqui & inſtruere debeant. Matrimonii evangelici ſublimitatem, præſtantiam, excellentiam, & privilegia gravi oratione exponant. Ejuſmodi Apoſtoli divina documenta interpretentur. Officii conjugalis caſtimoniam, honeſtatem, & ſanctitatem declarent. Sæpe dictum Pauli intonent: *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum:* ad Theſ. IV. Perpetuitatem reciproci amoris, & mutui vinculi indiſſolubilitatem uſque ad mortem congruis verbis repræſentent. Præveniant oppoſitionem diſcipulorum, qui cum audirent a Chriſto hanc matrimonii ſublimitatem, & perpetuitatem, clamarunt: *Si ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud.* Matth. XIX. Ut vero facilius inſtruant, gratiam quam ſacramentum illud producit, & alios gratiæ effectus, qui ſunt ardorem libidinis temperare, concupiſcentiam coercere, mutuum amorem nutrire, deſcribant, extollantque. Hinc audi-

tores facillime intelligent, in quo peccaverint, & a quibus abſtinere debeant, ut caſte & ſancte iuxta Apoſtoli doctrinam exercere officium coniugale valeant. Plus ſcientiæ ex Pauli doctrina comparabunt Parochi pro coniugatorum inſtructione, quam ſi omnes diſputationes excogitatas a Sanchezio, a Diana, a Gobatio, aliiſque, memoria tenerent.

X. MONITUM ſecundum eſt, ut coniugum peccata oblique, & generatim perſtringant. S. Auguſtinus caſtiſſimis verbis ſub figura eorum qui intemperanter dapibus, aliaquin licitis, ſe ſe ingurgitant, omnia explicat. Quid magis patremfamilias dedecet quam proprii dolii vino ſe inebriari, & aſſiduæ in privata menſa voluptatibus indulgere? Cur ſepultus in inferno eſt dives, cuius meminit Lucas Evangeliſta? An quia aliorum ſubſtantias devoraverit? An quia aliorum thalamos dedecoraverit? Nequaquam? Cur ergo? Quia æquo immoderatius rebus ſuis abutebatur, & nimium deliciis ac voluptatibus operam dabat. Neque hæc Parochi applicabunt propudioſis coniugum moribus, ſed permittent ut auditores ipſi talia ſibi applicent. In hac enim materia communiter coniuges plus æquo acuti ſunt. Immiſceant Parochi Tobiæ, & alia Scripturarum vivida exempla. Caveant Parochi & Confeſſarii ne plus iuſto, aut minus caute exaggerent interdictum officium coniugale voluptatis cauſſa: ſi enim nimio zelo declamarent contra voluptatem quotidianam ciborum, deriderentur ſe propinarent, & ſiccum operamque luderent. Omnia in Dei gloriam, & generis humani propagationem peragenda doceant, in ceteris prudentiam Pauli Apoſtoli imitentur, qui indulgentia diſſimulavit minora mala venialia. Cum enim officium illud exerceri abſque voluptate nequeat, imprudenter Parochi aut Confeſſarii agerent, ſi ſeverius in hoc voluptatis vitium declamarent; cum per indulgentiam id permiſerit Apoſtolus. Audi S. Auguſtinum *Lib. de bono coniugali cap.* XIII. inquientem: *Tam magnum eſt, ut multi hodie facilius ſe tota vita ab omni concubitu abſtineant, quam modum teneant non coeundi, niſi prolis cauſſa, ſi matrimonio copulentur. Nempe multos habemus fratres, & ſocios, & cæleſtis hereditatis utriuſque ſexus continentes, ſive expertos nuptias, ſive ab omni tali commixtione integros. Nempe innumerabiles ſunt. Quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, ſive eorum qui coniugati ſunt, ſive qui fuerunt, indicantem nobis unquam ſe coniugi eſſe commixtum niſi ſperando conceptum? Quod ergo præcipiunt coniugatis Apoſtoli, hoc eſt nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, ſed ferunt.* Si id aſſequuti Parochi, & Confeſſarii fuerint, ut ſui auditores vera chriſtiani coniugii principia intelligant, & legem evangelicam impleant, & virtutum officium exerceant: ſi hoc, inquam, aſſequuti fuerint, ipſa interior virtus, probitas, & ſanctitas eloquenter docebit honeſtatem, puritatem, & caſtimoniam, qua congredi una coniuges debeant, quin opus ſit talia ex alto & palam iiſdem cum periculo aut deriſionis, aut aurium offenſionis inculcare. Neque hic ne tamen inferas, minus improbandas, proſligandaſque eſſe plurium recentiorum opiniones, quibus voluptati, & intemperantiæ coniugatorum frena laxantur. Et hæc de magno matrimonii ſacramento dicta ſunto.

# LIBER TERTIUS

## DE CENSURIS.

# DISSERTATIO PRIMA.

## DE CENSURIS IN COMMUNI.

### CAPUT I.

*Quid, & quotuplex cenſura ſit.*

I. QUæſt. I. *Quænam ſit cenſura ſtrictio?* Reſp. Cenſuræ nomen varios excipit ſignificatus. Officii nomen olim, & etiam nunc eſt. Apud Romanos *Cenſor* erat qui moribus populi corrigendis, reprehendendis, puniendiſque invigilabat. Hinc Iuvenalis *ſatyr.* II. dixit:

*Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.*

Vellicat Iuvenalis Cenſoris iniuſtitiam, qua



in innocentes, aut ignorantia, vel ſimplicitate delinquentes ſeverius animadvertebat, parcebat e contrario verſutis, & inveteratis peccatoribus. Cenſura quoque accipitur pro iudicio, & ſententia, quæ fertur contra, aut in favorem cuiuſcumque rei.

II. *Cenſura*, de qua in præſentia ſermo eſt, communiter deſcribitur, quod ſit *pœna eccleſiaſtica medicinalis fori exterioris, qua fidelis baptizatus privatur uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ut a contumacia diſcedat*. Pœna nuncupatur, quia ſupponit culpam. *Medicinalis* vocatur, quia præter punitionem, ad rei emendationem infligitur. Dicitur *fori exterioris*, quia qui hanc pœnam infligit, iuriſdictione in foro iudiciali & contentioſo præditus ſit oportet. Perſona huic pœnæ obnoxia baptizata eſſe debet: quia Eccleſia ſuam exercere poteſtatem iure valet in ſolos fideles baptizatos. Hinc privat *uſu aliquorum bonorum ſpiritualium*, quæ ſunt propria fidelium. Excommunicatio privat etiam aliquo bono temporali; ſed quatenus ſimul ſpirituale bonum eſt, & ad hoc ordinatur: converſatio enim cum fidelibus, qua privatur excommunicatus, bonum quoddam ſpirituale eſt, & ad emendationem rei directum; idcirco ultimo loco additur, *ut a contumacia diſcedat*, atque reſipiſcat, & ad meliorem frugem revertatur.

III. Quæſt. II. *Quotuplex ſit cenſura?* Reſp. Communiter cenſura tribuitur in ſpecies tres, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum; ut perſpicue declaravit Innocentius III. cap. *Quærenti*, de verb. ſignif. ubi hæc habentur. *Quærenti, quid per cenſuram eccleſiaſticam debeat intelligi, cum eiuſmodi clauſulam in litteris noſtris apponimus, reſpondemus, quod per eam non ſolum interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi.* Irregularitas ex delicto non eſt pœna medicinalis, quæ auferri poſt emendationem delinquentis debeat, ſed eſt mera pœna natura ſua perpetua, quæ non aufertur poſt delinquentis correctionem, ſicut aliæ cenſuræ; ſed per ſolam diſpenſationem tollitur, & dicitur mera punitio. Similiter *depoſitio*, *degradatio* non infliguntur ad emendationem, ut reus deſiſtat a contumacia: & ideo inter cenſuras non computantur. *Ceſſatio a divinis*, per quam prohibetur ne in tali loco divina celebrentur, non eſt cenſura, ſed quoddam præceptum ſimile interdicto locali, ad retundendas iniurias Eccleſiæ irrogatas; ut habetur in *Clement. I. de ſentent. excomm.*

IV. Cenſura reſpectu cauſſæ efficientis, alia eſt *ab homine*, alia *a iure* lata. Omnes utique cenſuræ ab homine infliguntur; nihilominus tamen quando Superior vi legis, aut ſtatuti cenſuram infligit, dicitur *a iure* ferri. Quare Pontifices dumtaxat, & Concilia oecumenica pro univerſa Eccleſia, Epiſcopi in ſua diœceſi ferre cenſuras a iure valent. Cenſuras vero *ab homine* omnes Superiores qui habent iuriſdictionem eccleſiaſticam in foro exteriori, infligere poſſunt. Hæc cenſura ſemel contracta durat etiam mortuo Superiore, uſque dum obtineatur abſolutio. Si vero non ſit contracta, licet lata a Superiore fuerit, illo mortuo, aut per delictum privato iuriſdictione, non durat, ſed corruit. Quia ſcilicet cenſura pendet a poteſtate Superioris. Ergo, hac ablata, vel ſuſpenſa, cenſura evaneſcit. Cenſura vero a iure lata ſemper durat, ſicut lex.

V. Alia cenſura dicitur generalis lata in omnes qui v. g. furantur in tali loco: alia particulari perſonæ infligitur. Dividitur tandem cenſura in *latæ ſententiæ*; quæ ipſo facto ligat ante iudicis ſententiam, & in *ſententiæ ferendæ*, quæ ſolum poſt iudicis ſententiam incurritur. Signa quibus dignoſcitur, num cenſura ſit *latæ ſententiæ*, communiter hæc aſſignantur: *Confeſtim, illico, ipſo facto, prorſus in continenti* ſit excommunicatus, ſuſpenſus &c. Tunc vero reputatur eſſe ferendæ ſententiæ, quando Superior dicit: *Præcipimus ſub pœna excommunicationis, interdicti* &c. aut ſi de futuro exprimatur: *Excommunicabitur, ſuſpendetur* &c. In dubio autem ſit ne latæ, an ferendæ ſententiæ, intelligendum eſt *ferendæ*, non *latæ*, cenſuram eſſe: quia in ceteris pœnalibus dubium benigne eſt interpretandum, ut communiter Theologi docent.

VI. Diſputant Auctores, num hæc formula, "*Anathema ſit, ſit excommunicatus*; contineat cenſuram *latæ* aut *ferendæ ſententiæ*". Communis ſententia docet eſſe cenſuram latæ ſententiæ.

### CAPUT II.

*De poteſtate Eccleſiæ ferendi cenſuras.*

I. VEritas fidei eſt, definita in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* VIII. & *ſeſſ.* IX. & habetur aperte in Scripturis, Eccleſiam cenſuras infligere poſſe. Nam *Matth.* XVI. & XVIII. dicitur: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis... Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus*, ideſt ſegregatus ab omni commercio fidelium, & ſuffragiorum participatione privatus: quemadmodum infidelis ab

omni